



1-1-1947

## Constitutions Proposed Latin: 1947

---

### Recommended Citation

"Constitutions Proposed Latin: 1947" (1947). *Constitutions and Rules*. Paper 31.  
[http://via.library.depaul.edu/cm\\_construles/31](http://via.library.depaul.edu/cm_construles/31)

This Article is brought to you for free and open access by the Official Documents at Via Sapientiae. It has been accepted for inclusion in *Constitutions and Rules* by an authorized administrator of Via Sapientiae. For more information, please contact [mbernal2@depaul.edu](mailto:mbernal2@depaul.edu).

# Schema Constitutionum Congregationis a Missione

APPROBATIONI

Conventus Generalis XXXI

SUBJICIENDUM

Lutetiae Parisiorum  
julio 1947

## **PARS PRIMA**

### **TITULUS PRIMUS**

#### **DE INSTITUTIONE ET FINE CONGREGATIONIS**

1. — Congregatio Missionis

§ 1 Fundata a S. Vincentio a Paulo (1625) est societas clericalis in qua sodales vivendi rationem religiosorum imitantur in communi degentes sub Superiorum regimine secundum Constitutiones a Romanis Pontificibus probatas, cum votis privatis;

§ 2 Regitur autem TITULO XVII, Partis ii. Libri ii Codicis Juris Canonici et propriis Constitutionibus.

2. — Ejus finis est : a) propriae perfectioni studere ; b) evangelizare pauperibus, maxime ruricolis; c) ecclesiasticos adjuvare ad scientias virtutesque acquirendas ipsorum statui requisitas; d) insuper Puellas Caritatis dirigere ex ipsarum institutione (Regulae Communes, Cap. xi, § xi).

3. — Haec Congregatio ecclesiasticis et laicis constat.

§ 1 Ecclesiasticorum munus est, exemplo ipsius Christi et discipulorum, oppida et pagos perlustrare, in iisque praedicando et catechizando, verbi divini panem parvulis frangere; confessiones generales totius antea vitae suadere et excipere ; jurgia et lites componere ; confraternitates caritatis instituere ; seminaria externorum in nostris domibus erecta regere et in illis docere; exercitia spiritualia tradere ; conferentias ecclesiasticorum externorum apud nos convocare et dirigere; aliave munia, praedictis functionibus convenientia ac conformia obire.

§ 2 Laicorum vero partes sunt, ecclesiasticos in supradictis omnibus ministeriis, Marthae officio fungendo, prout eis a Superioribus praescriptum fuerit, necnon suis orationibus, lacrimis, mortificationibus, et exemplis cooperando, adjuvare.

### **TITULUS SECUNDUS**

#### **DE GUBERNIO CONGREGATIONIS**

4. — § 1 Congregatio regitur per Superiorem generalem legitime electum, penes quem residet suprema et omnimoda auctoritas ordinaria in totam Congregationem, id est : in singulos sodales, sicut in singulas provincias, vice-provincias, domos, res.

§ 2 Caeteri superiores infra Generalem ea gaudent auctoritate quae intra fines sui muneris comprehenditur.

5. — Superior generalis in regenda Congregatione iuvatur ab Assistentibus legitime electis a Conventu generali ; ita tamen ut facultas decernendi quae agenda sunt, sit penes ipsum Generalem, exceptis casibus in iure et in hisce Constitutionibus expressis.

6. — § 1 Superiori generali tamen superior erit Conventus generalis ob quascumque causas congregatus ; Conventus praeterea in Superiorem generalem auctoritatem habebit, *ei substuendi* Vicarium generalem, vel eum *deponendi* in duobus casibus et juxta modum in hisce Constitutionibus expressum.

7. — § 1 Conventus generalis, Superior generalis, Visitatores provinciarum, Vice-Visitatores, Superiores domorum sive formatarum sive non-formatarum, habent, praeter potestatem dominativam, vi voti oboedientiae, in subditos, iurisdictionem quoque ecclesiasticam tam pro foro interno quam pro foro externo ad normam tamen harum Constitutionum;

§ 2 Soli autem Superiores maiores veniunt nomine Ordinarii et praelati sunt.

8. — Congregatio Missionis, licet eius membra sint de clero saeculari, gaudet privilegio exemptionis ab Ordinariorum locorum subiectione, excepto quoad personas eiusdem Congregationis a superioribus eiusdem deputatas ad missiones et ea quae missiones concernunt, necnon quoad functiones quae proximum respiciunt (Breve Alexandri VII, 1659; Bulla Urbani VIII, a 1633), (item in casibus iure expressis Can. 500, 618 comparati cum can. 615, 619).

9. — § 1 Congregatio territorialiter organizatur per divisionem in provincias.

§ 2 Provinciae vero in distinctas domos dividuntur, quae erunt formatae cum constant 6 sodalibus qui vota emiserunt quorum quatuor sacerdotes sint.

§ Singulis provinciis praest Visitator ; singulis domibus Superior localis.

10. — § 1 Constitutio, conjunctio et aliacumque Provinciarum circumscriptio, est tantum administrativa, et pertinet (ex tricentenaria consuetudine) ad superiorem generalem cum suo Consilio;

§ 2 itemque erectio domorum de consensu tamen Ordinarii loci (Selectae Clementis X, no 8) quique consensus secumfert permissionem habendi ecclesiam vel publicum oratorium domui adnexum, salvo praescripto can. 1162, § 4.

§ 3 Pro abolitione tamen et translatione domus itemque pro suppressione Provinciae requiritur consensus Conventus generalis.

§ 4. Si dissolvendi aut transferendi domum necessitas ita urgeat ut Conventus generalis consensus expectari nequeat, tunc res definiatur a Superiore generali cum suo Consilio necnon secretario generali Congregationis et Procuratore et Visitoribus.

11. — Pro abolitione tamen et translatione domus, itemque pro suppressione provinciae requiritur consensus Conventus generalis, servatis de jure servandis.

12. — Divisa provincia ut distincta provincia erigatur, etiam bona omnia quae in commodum provinciae erant destinata et aes alienum quod pro tota provincia contractum

fuerat a Superiore generali cum suo Consilio debita proportione ex bono et aequo dividi debent, salvo priorum fundatorum seu oblatoꝝ voluntatibus, iuribus legitime quaesitis ac legibus particularibus quibus provincia regatur (can. 1500).

13. — § 1 Missionarii omnes subduntur Romano Pontifici eidemque oboedientiam praestabunt fideliter et sincere (Reg. Com. V, 1).

§ 2 Superiores tenentur notitiam tradere et executionem urgere Decretorum S. Sedis Congregationem nostram respicientium inter nostros sibi subditos.

§ 3 Potestas tum dominativa, tum ecclesiastica qua pollent Superiores maiores et minores exercenda est iuxta regulas suorum officiorum et sacros canones (can. 502).

§ 4 Potestas Visitorum et Superiorum localium quae continetur in regulis particularibus uniuscuiusque officii a Superiore generali augeri et imminui poterit. (Const. Sel. 3).

§ 5 Superiores maiores seu Superior generalis et Visitatores possunt notarios constituere pro negotiis ecclesiasticis Congregationem respicientibus (can. 503 et 675).

14. — § 1 Superiores tum maiores tum minores Consultoribus muniuntur.

§ 2 Cum autem ius statuit superiores ad agendum indigere consensu vel consilio, tunc si consensus exigitur superior contra Consultorum votum agens invalide agit; si consilium tantum exigitur ex. gr. “*de consilio*” aut “*audito consilio* » satis est ad valide agendum ut superior Consultores audiat (can. 105 et 516).

### **TITULUS III**

#### **DE SUPERIORIBUS ET CONVENTIBUS CONGREGATIONIS**

##### **CAPUT I**

###### **DE SUPERIORE GENERALI**

15. — Superior generalis in perpetuum constituitur per electionem factam a Conventu generali ad plura medietate suffragia.

*N.B. — Quaestio de electionibus discutienda est in Conventu generali (anno 1947) ad decernendum utrum sequendus sit canon 101 pure et simpliciter an non.*

16. — Requiritur ad validitatem electionis ut Superior generalis:

§ 1 Ex legitimo sit matrimonio natus ;

§ 2 Annos quadraginta expletos natus et in Congregatione saltem duodecim annis expletis post emissa vota ;

§ 3 non caractere episcopali auctus;

§ 4 nec officium gerat Vicarii aut Praefecti apostolici licet caractere episcopali non auctus.

17. — Superioris generalis jus et officium est

- § 1 ordinationes condere in bonum Congregationis quae observandae sunt, nisi a successore aut a Conventu generali aliter provisum fuerit
- § 2 uti facultatibus a S. Sede concessis Congregationi, et talem partem illarum suis subditis communicare, imminuere, revocare prout magis expedire censuerit
- § 3 omni cura studere ut spiritus sancti Vincentii firmus et fervens ubique conservetur et Regulae ac Constitutiones serventur;
- § 4 instituere Secretarium generalem ac Procuratorem generalem Congregationis, Visitatores eorumque Officiales, superiores domorum, eosdemque rationabili de causa destituere;
- § 5 uti, si casus ferat, opera Commissariorum, qui tantam potestatem habebunt quantam Superior generalis requiri censuerit
- § 6 erigere cum suo Consilio, provincias et domus, easque suppressere, servatis iis quae in hisce Constitutionibus praescribuntur;
- § 7 admittere in Congregationem quos dignos existimaverit;
- § 8 cum suo Consilio indignos post emissa vota dimittere si retineri non possint absque damno magno Congregationis et ad normam Codicis Juris Canonici;
- § 9 quoslibet contractus servatis de iure servandis inire, in rebus tamen maximi momenti, id est 20.000 francorum, de consensu suorum Assistentium ad plura suffragia cum sua ipsius praerogativa in paritate;
- § 10 convocare Conventum generalem et sexennem, ipsumque dirigere et convocatos de consensu ipsius Conventus dimittere
- § 11 in omni Conventu iure speciali gaudere quoad suffragia;
- § 12 admittere sed rarissime et solum propter gravissimas causas, consultis suis Assistentibus, convictores in aliqua nostra domo per aliquod tempus notabile, vel per reliquum vitae tempus.
- § 13 Singulis quinquenniis relationem de statu Congregationis ad Sanctam Sedem mittere (can. 675, 510) ad normam traditam a Sacra Congregatione de Religiosis die 25 martii 1922.

18. § 1 Superior generalis post suam electionem, quamprimum poterit, exercitiis spiritualibus vacabit, quibus absolutis, in duabus schedulis coram Deo scribet, in altera nomen illius quem in Domino judicaverit idoneum, se vita functo, ad officium Vicarii generalis obeundum usque ad futuram Generalis electionem; in altera vero, nomina duorum qui post obitum suum Conventui generali proponentur ut alteruter, si Conventui collibuerit, in Superioris generalis officium sibi successurus eligatur.

§ 2 Ambas schedas in duabus arculis includat in archivo domus in qua residere solet accurate servatis.

19. — Superior generalis

§ 1 additiones, mutationes vel derogationes sancire non potest in Constitutionibus

§ 2 acceptare nequit dignitates ecclesiasticas absque consensu Conventus generalis, nisi id praecipiat Summus Pontifex virtute obedientiae

§ 3 ut totius Congregationis gubernationi impensius et perfectius vacare queat, nullius domus particularis nisi domus curiae generalis administrationi ullo modo vacabit

§ 4 nulli open externo etiam pio, quod nec ad officium suum, nec ad Institutum pertineat per se incumbet, nisi aliquando maior Dei gloria, urgensque proximi necessitas id exigant.

20. — § 1 Assistentium est providere in iis quae respiciunt victum, vestitum, sumptus, necnon curam corporis Superioris generalis.

§ 2 Admonitoris est Superiorem generalem commonefacere cum maxima humilitate, caritate ac prudentia de rebus non levibus quae personam et officium Superioris generalis spectant.

21. — Officium Superioris generalis cessat

a) per substitutionem Vicarii generalis, peragenda, cum Superior generalis in rebus non parvi momenti, ita languidus et negligens vel etiam inutilis ad gubernationem Congregationis evaderet ut damnum notabile Congregationi inferret;

§ 1 tunc Assistentes re mature perpensa, postquam ad pluralitatem suffragiorum iudicaverint Vicarium generalem substituendum esse Superiori generali ipsum, cum debita modestia et reverentia monebunt atque rogabunt ut eligat et substituat sibi Vicarium generalem a maiore parte Visitorum per epistolam approbandum.

§ 2 Renuente Superiore generali, aut si esset in eo statu caducitatis vel infirmitatis ut non posset eligere sibi Vicarium generalem, ipsi Assistentes convocabunt Conventum generalem et sub directione Assistentis antiquioris electione, declarabitur Vicarius generalis qui plura suffragia medietate sortitus fuerit (Constit. p. 13, 14, 15)

b) per remotionem a Conventu generali statutam : si Superior generalis in gravissimum aliquod peccatum luxuriae externum per copulam carnalem laberetur ; aut si quem occideret, vel graviter vulneraret si bona alicuius Domus sibi ut propria attribueret vel dissiparet vel donaret; aut si doctrinam pravam haberet, qui casus sperantur nunquam eventuri, in his casibus, si res fuerit sufficienter testata, Assistentes convocabunt Conventum generalem per litteras missas ad Visitatores, et constito de delicto, et conditionibus ad deponendum Generalem requisitis, primus Assistens pronuntiabit ad pluralitatem suffragiorum, quae quidem ut sint valida bis tertiam eorum partem excedere debebunt ; quibus peractis procedetur ad electionem alterius Generalis juxta consuetam formam; si res demum postulet Conventus ille Generalem extra se dimittet. (Constit., p. 15, 16, 17 et 10).

## **CAPUT SECUNDUM**

### **DE VICARIO GENERALI**

22. — Eadem die obitus Superioris generalis et quamprimum post obitum

§ 1 Primus Assistens convocat omnes sacerdotes qui tunc domi sunt, servatis praescriptis normis pro casu.

§ 2 scheda manu Superioris generalis defuncti scripta pro nominatione Vicarii generalis legatur alta voce a Secretario Congregationis.

§ 3 Is cuius nomen in dicta scheda repertum fuerit, sine controversia, Vicarius generalis censebitur et ut talis ab omnibus admittetur.

23. — Si ille qui in scheda nominatur Vicarius, a) e vita decesserit, b) aut gravi morbo aliove modo impediatur quominus officio suo vacare possit, c) vel etiam si eveniat Superiorem generalem non nominato Vicario generali mortuum esse, tunc Primus Assistens ut Vicarius generalis ab omnibus habeatur et omnibus facultatibus Vicarii generalis gaudebit.

24. — Assistentes, primo excepto, ad plura suffragia iudicabunt de morbo aut impedimento nominati Vicarii generalis.

25. — Vicarius generalis

§ 1 Conventum generalem ad Superioris electionem convocabit, diem, locumque designabit, quamprimum poterit, ita ut non possit excedere spatium sex mensium, nisi necessitas ex consensu Assistentium aliquam exegerit dilationem;

§ 2 nihil immutare potest in regimine, Constitutionibus, Regulis communibus vel Officialium, neque in functionibus, exercitiis, usibus seu consuetudinibus eiusdem Congregationis;

§ 3 utetur iisdem Assistentibus, Admonitore, Secretario et Procuratore generali, Visitoribus, Superioribus localibus et aliis Officialibus a Superiore generali nominatis, quos non poterit mutare nec alio mittere, nisi ob aliquam gravissimam causam a maiore parte sui Consilii approbatam;

§ 4 Si aliquis istorum officialium moriatur, vel alio mittatur, urgente necessitate, cum Consultorum suorum consensu ad plura suffragia, poterit alios substituere in locum praedictorum.

§ 5 si forte ipse Vicarius erat Assistens, vel moriatur aliquis Assistentium, poterit mediante pluralitate praefata suffragiorum, alterum substituere non quidem in Assistentem sed in Consultorem, qui ut talis ad Conventum generalem ius non habet.

§ 6 Si vero Admonitoris officium vacet, illud ipso facto ad Primum Assistentem devolvetur.

§ 7 Denique post electionem mittendorum ad Conventum sive provincialem sive generalem nullum ex ipsis eo poterit mittere unde commode et opportune ad eundem Conventum venire impediatur.

26. — Non poterit:

§ 1 admittere novas domorum fundationes neque eas abolere;

§ 2 vendere vel alienare bona stabilia Congregationis;

§ 3 aliquas Missiones ad partes infidelium multum remotas aggredi;

§ 4 aliquem qui vota emisit in Congregatione dimittere.

§ Si tamen necessitas vel gravissima causa urgeat, cum Consilio suo ad plura suffragia poterit haec omnia decernere et exequi,

27. — Vicarius generalis statim atque designatur et recognoscitur

§ 1 accipiet a primo Assistente claves armariorum et scrinii in quibus sunt scripturae quas Superior generalis apud se conservabat, ex quibus tamen nullam accipere debet nisi exigente necessitate et ad id vocatis duobus Assistentibus et Secretario Congregationis, atque illas quamprimum et iisdem praesentibus reponet

§ 2 statim curat de suffragiis pro Generali defuncto.



§ 3 In Conventu generali unicum habet suffragium cum praerogativa tamen in suffragiis non secretis;

§ 4 deputat cum approbatione Assistentium inclusorem in conclavem cui adiungitur socius;

§ 5 die electionis aperit arculam continentem Superioris generalis defuncti schedulam, absolvit electores a censuris, promulgat electum et format decretum electionis

§ 6 post electionem cessat ab officio Vicarii et in sequentibus Conventus sessionibus ius suffragandi habet et sedet primus ante Assistentes et Visitatores.

28. — Vicarius generalis eligi quoque poterit ad plura medietate suffragia;

§ 1 sive a Conventu extraordinario deputatorum si Superior generalis eum sibi substituere non posset aut nollet et in hoc casu Conventus praefinire potest quanta erit Vicarii auctoritas attento superioris generalis statu.

§ 2 sive a Conventu sexennali, eodem prorsus modo quo in paragrapho praecedenti.

### **CAPUT TERTIUM**

#### **DE CONSILIO SUPERIORIS GENERALIS**

29. — Consilium Superioris generalis constituitur ex Assistentibus generalibus.

30. — Assistentes eliguntur a Conventu generali ad plura medietate suffragia (Constit., p. 11; Sel. 2). (Constit., p. 94-95) vel a Conventu deputatorum (Constit., p. 12-14).

31. — Assistentes

§ 1 in suo officio durant usque ad peractam electionem alterius Superioris generalis (Constitut. p. 11; Select. n. 2);

§ 2 Conventui intersunt ad finem usque;

§ 3 exeuntes officio possunt vel non denuo eligi.

32. — § 1 Assistentium numerus determinatur a Conventu generali (Constit., p. 10, 94).

§ 2 Eligendi sunt saltem quatuor sive ex numero eorum qui praesentes sunt in Conventu, sive de numero absentium (Reg. De Conventu generali)

§ 3 requiritur autem ad validitatem ut eligendi saltem decennium post vota in Congregatione exegerint;

§ 4 sint in quantum fieri poterit ex variis Provinciis; — praesertim boni sacerdotes, obsequii divini zelatores — inordinatis affectibus quantum humana fragilitas patitur immunes — boni amatores — studio et zelo Instituti conservandi eiusque primitivum spiritum promovendi ardentes — praecipue in Instituto rebusque Congregationis bene versati (Const. p. 10-11).

33. — Assistentes

§ 1 in eadem domo qua ipse Superior generalis residere debent;

§ 2 non possunt nisi propter necessitatem alio mitti ad tempus non breve, id est duodecim menses.

§ 3 si ad tempus nimis longum aliquis eorum absens esse debet, Superior generalis alium substituet de consensu sui Consilii et Visitorum ad plura suffragia per litteras transmittenda;

§ 4 substitutus officium complet usque ad Assistantis reditum.

34. — § 1 Si aliquis ex Assistantibus moritur, substitutio fit eodem modo ac in casu praecedenti et substitutus officio suo fungitur usque ad Conventum generalem vel sexennem inclusive.

§ 2 Sed si tantum inter sex menses Conventus generalis vel sexennalis haberi debet, Superior generalis non tenetur nominare substitutum.

35. — Assistantium partes erunt Generalem opera et consilio juvare in regimine Congregationis; tam in rebus pertinentibus ad doctrinam quam in agendis ; ita tamen ut facultas decernendi sit penes ipsum Generalem, exceptis casibus in Constitutionibus aut in iure expressis.

36. — § 1 Assistentes removeri possunt ab officio iisdem rationibus ac Superior generalis (Decretum 24 confirmatum a Benedicto XIII, 21 julii, 1724 ; 4 Junii 1727).

§ 2 Assistens deponi nequit nisi per Conventum generalem vel in casu urgentiori per Superiorem generalem cum consensu Assistantium et Visitorum ad plura medietate suffragia.

## **CAPUT QUARTUM**

### **DE ADMONITORE SUPERIORIS GENERALIS**

37. — Admonitor Superioris generalis eligitur a Conventu generali sicut agitur pro electione Assistantium generalium ad plura medietate suffragia (Const. p. 11, 98, Select. 2°) ; vel a Conventu deputatorum (Const. p. 12).

38. — § 1 Eligi debet vir qui cum Jesu Christo sit in suis actionibus bene unitus; maxime discretus et prudens; non multum credulus ; non timidus ; minime audax ; in rebus Congregationis bene versatus, et in quantum fieri potest, non ingnatus Superiori generali; qui saltem decennium post emissa vota in Congregatione exegerit (l.c. p. 97-98)

2 § eligi potest in Admonitorem unus de Assistantibus vel alius ex praesentibus vel absentibus, qui tamen residere debet in domo Superioris generalis.

39. — Substitui potest in casu necessitatis eodem modo ac substituuntur Assistentes generales (1. c.).

40. — Eius officium, commonefaciendi Superiorem generalem de rebus non levis momenti tum ad personam, tum ad officium Superioris generalis spectantibus (Reg. Admon; i) quod quidem facere debet maxima cum humilitate et caritate necnon prudentia, praemissa hora orationis (Reg. citata, n. 3,4, 8).

§ 2 Peculiari modo pro Superiore generali orabit cum officii sui ratione teneatur ad ipsius animam attendere (1. c. n. 2).

## **CAPUT QUINTUM**

### **DE SECRETARIO GENERALI**

41. — Secretarius generalis Congregationis debet esse communi bono Congregationis aptissimus, eiusdem rerum studiosissimus et in eis bene versatus, Superiori generali fidelissimus, cuius ita minister esse debet ut pro memoria et manibus illi sit ad ea omnia quae scribenda vel tractanda sunt.

42. — Nominatur a Superiore generali et in munere perdurat ad nutum eiusdem.

43. — Eius munus est

A) Quoad Superiorem generalem : eius iussu et nomine epistolas, actaque conscribere quae ad negotia Congregationis pertinent; — in stilo epistolarum ita se gerere debet ut personam Superioris generalis induat (Reg. Secret. Gen., 18); negotia ad ipsum spectantia tractare sub auctoritate Superioris generalis et ad normam iuris

B) Quoad Conventus:

§ 1 In Conventu generali adiuvat secretarium Conventus ad conficienda decreta (Const. p. 79);

§ 2 in Conventu provinciali intervenit sedens ad dexteram Visitoris ante Superiores (Decr. 150)

§ 3 ius assistendi habet in Conventu generali post electionem Superioris generalis et quidem cum iure suffragii (Constit. p. 79, 117; Select. 14).

C) Quoad Congregationem : Archivi curam habere, in quo scripturas omnes Congregationi utiles accurate asservet (1. c. 6). Ilius est (Reg. Secret. Gen. passim) : conficere catalogum provinciarum, domorum, personarum Congregationis, notificare defunctos nostros pro applicatione suffragiorum, notitias nostrorum qui pie decesserunt iuxta Superioris generalis instructionem typis mandare; publicare Acta S. Sedis pro nostra Congregatione, item Decreta Conventuum generalium, epistolas circulares Superioris generalis, et ea quae ad historiam Congregationis pertinent.

44. — Secretarius generalis est cancellarius Congregationis et eo ipso notarius, quod officium complet ad normam Juris (ex analogia cum can. 372).

## **CAPUT SEXTUM**

### **DE PROCURATORE GENERALI CONGREGATIONIS**

45. — Procurator seu Economus generalis qui praeest vitae temporali totius Congregationis pollere debet singulari penitia in administrandis bonis et negotiis gerendis, simul ac fidelitate et diligentia.

46. — Nominatur a Superiore generali et in munere manet ad nutum Generalis (Constit. p. 5; Select. n. 3).

47. — Ratione Officii, Procurator generalis tenetur

§ 1 bona Congregationis administrare ad normam Constitutionum, SS. Canonum, et ad mentem fundatorum et oblatorum; omnia autem sub directione Superioris generalis (can. 516, 532, CJC);

§ 2 invigilare super Procuratores provinciales et domesticos, necnon super omnes in negotiis Congregationis intervenientes

§ 3 bis in anno rationem reddere de administratione Superior generali cum suo Consilio (Reg. Proc. Gen. passim).

48 — Procurator Generalis

§ 1. intervenit conventui domestico domus in qua residet;

§ 2. necnon in Conventu provinciali in quo sedet post Secretarium et ante Superiores (Decr. 150)

§ 3. item Conventui generali adest post Visitatores et Secretarium generalem, non venit tamen nisi post electionem Superioris generalis et quidem cum jure suffragii (Constit. p. 79, 117);

§ 4 Secretarium Conventus adjuvat ad conficienda decreta (Constitut. p. 79).

§ 5 Consilio generali cum Assistentibus tunc interest cum vocatur a Superiore ad referendum pro negotiis eius officium respicientibus.

## CAPUT SEPTIMUM

### DE PROCURATORE GENERALI APUD SANCTAM SEDEM

49. — Procurator generalis apud S. Sedem est sacerdos nostrae Congregationis qui sub directione Superioris generalis negotia Congregationis apud S. Sedem pertractat (c. 517, 1).

50. — Nominatur a Superiore generali audito suo Consilio.

51. — Huiusmodi Procuratoris est: (Reg. Procuratoris 4, 5, 6)

§ 1 maxima cum reverentia et fideitate erga Sanctam Sedem adimplere commissiones ipsi transmissas a Superiore generali vel ab eo ipsi commendatas;

§ 2 monere Superiorem generalem de negotiis quae apud

S. Sedem tractanda sunt et Superiori generali transmittere omnia Decreta, Rescripta et caetera documenta S. Sedis Congregationem nostram respicientia

§ 3 Procurator generalis Romae residet, nullam habens auctoritatem in Congregatione.

52. — Nullum unquam negotium sive alicuius Provinciae, sive domus Congregationis, sive etiam particulare, praeter postulationes facultatum ordinariorum et usitatarum, suscipiet, nisi prius ipsi certo constet a) de Superioris generalis consensu, quando agitur de rebus quae totam Congregationem aut aliquam provinciam spectant; b) et Visitoris, quando agitur de rebus quae ad aliquem particularem suae provinciae attinent. (Reg. Procur. penes S. Sedem, p. 31, par. 17).

## **CAPUT OCTAVUM**

### **DE CONVENTU GENERALI IN GENERE**

53. — Conventus generalis plures ob causas celebrandus venit:

§ 1 ad eligendum Superiorem generalem;

§ 2 ad negotia tractanda Congregationis, quique celebratur duodecimo quoque anno, nisi in Conventu sexennali aliud caveatur;

§ 3 extra dicta tempora quotiescumque Superior generalis iudicet esse celebrandum ad solvendam rem magni momenti et urgentem quaeque iudicatur non bene tractari posse nisi in Conventu generali.

54. — Praeter Conventus praedictos habetur quoque

§ 1 Conventus ad deponendum Superiorem generalem,

§ 2 necnon Conventus sexennalis, sexto anno post finem ultimi Conventus generalis supputando, quique decernere debet de cogendo vel non cogendo Conventu generali ante illum qui ordinarie celebratur duodecimo quoque anno.

55. — Celebrationi Conventus generalis praecedere debent Conventus domesticus et provincialis ad finem eligendi deputatos qui a quavis provincia simul cum Visitatore mittuntur ad Conventum generalem et afferunt postulata Provinciae proponenda Conventui generali vel Superiori generali.

56. — Conventus generalis convocatur a Superiore generali vel ab eo qui ullius locum tenet, statutis tempore et loco ubi Conventus celebrandus est et declarato eius fine.

57. — § 1 Omnes sacerdotes qui vota perpetua in Congregatione emisissent, voce activa gaudent, nisi vocem amiserint ob aliquod delictum quo quis privetur jure vocis activae ex Jure communi aut nostrae Congregationis;

§ 2 ad ius vocis passivae requiritur praeterea ut huiusmodi sacerdotes supradescripti exegerint sex annos completos post emissa vota perpetua (vel temporaria) in Congregatione;

§ 3 huiusmodi sacerdotes praeterea iure suffragii activi gaudent in Conventu domus ad quam a Superiore generali aut a Visitatore destinati sunt ad munia Congregationis obeunda,

§ 4 non autem jure suffragii activi gaudent in Conventu domus ubi occasionaliter degunt ratione studiorum in ordine ad gradus academicos aut ad complementum studiorum.

58. — § 1 Eligendi sunt in deputatos qui non mediocrem Notitiam et experientiam rerum atque functionum nostrarum habeant, ardensque studium ac verum zelum conservandi ac promovendi spiritum nostri Instituti; regulas ac constitutiones fideliter observent et prudentia ad agendum polleant.

§ 2 Ante conventum nemini licet renunciare voci activae sine causa gravi proponenda Superiori qui conventum convocavit, quique cum suo Consilio examinabit et renuntianti exponet quid ipse iudicaverit; postea si renuntians insistat, superior omnia subiiciat resolutioni Conventus;

§ 3 renuntiatio ut valeat fieri debet in scriptis et a renuntiante subscripta.

59. — § 1 In conventu, ante vel post scrutinium, nemini licebit voci passivae renunciare sine causa a conventu approbata sive agatur de deputatione ad Conventum provincialem sive ad generalem (Constit. p. 147, n. 102)

§ 2 quinimo incoepta iam electione et non completa, numquam potest talem renuntiationem Conventus approbare (Decr. 100, 101).

§ 3 Si electus renuntiet ire ad conventum sive in ipso actu conventus, sive post dissolutum conventum, non debet fieri nova electio (Decr. 135, 136, 138).

60. — Nemo in conventibus sibi alium substituere potest proprio arbitrio sed tantum secundum normas latas in Constitutionibus et Decretis ut videre est pro casu quo Superior vel Visitor interesse nequeant conventui cui interesse debent ex iure, prout suis in locis habetur.

61. — Congregati tenentur ad secretum servandum circa omnia quae secretum requirunt jure sive naturali sive divino et canonico, praesertim circa informationes erga candidatos tempore conventus datas vel acceptas et quoad manifestationem illorum pro quibus unusquisque Suffragium tulit (Constit. p. 51, 5).

62. — § 1 In omnibus electionibus quae per secreta suffragia facienda sunt, semper requiruntur tres scrutatores ad numeranda, perlegenda et proclamanda suffragia (Constit. p. 143)

§ 2 iidem in electione Superioris generalis iuramentum praestabunt de secreto servando et fidelitate circa electionem (Constit. p. 67, 1).

63. — § 1 Omnes sessiones inchoabuntur cum invocatione Sancti Spiritus et Beatae Virginis Mariae

§ 2 postea per ordinem sedentes et bonum Congregationis unice prae oculis habentes, agent de negotiis in conventu tractandis, Secretario fideliter adnotante quae acta sint necnon decreta lata

§ 3 huiusmodi acta a Secretario conscripta subscribenda sunt ab eodem secretario, a praeside, a scrutatoribus et ab omnibus congregatis ac sigillo Congregationis munita in Congregationis tabulario diligenter asserventur (Constit. p. 171, 5, p. 86).

64. — § 1 In cujusvis conventus initio procedendum est ad electionem ipsius Conventus secretarii

§ 2 ille electus habebitur qui maiorem suffragiorum numerum retulerit, demptis suffragiis nullis.

65. — Conventui generali interesse debent : Superior generalis si adsit, secus qui eius vices gerit, cui competit praesidentia et directio Conventus; -- Assistentes generales ; -- Secretarius generalis ; -- Procurator generalis ; Visitatores ; duo deputati electi in singulis Conventibus provincialibus.

## CAPUT NONUM

### DE CONVENTU GENERALI AD TRACTANDA NEGOTIA

66. — Conventus generalis gaudet pleno iure decernendi et statuendi quae ad Congregationis prosperum felixque regimen conducere videbuntur condendo leges seu decreta quae constituunt disciplinam Congregationis; et ob quascumque causas convocetur, Superiori generali superior erit.

67. — § 1 In Conventu generali agetur de rebus seu negotiis gravibus quae ad vitam vel progressum Congregationis pertinent.

§ 2 Cavere omnino debent Congregati ne quidquam contra substantialia Instituti, cuiusmodi sunt Constitutiones, proponant.

§ 3 Verum si gravia incommoda ex alicuius praescripti Constitutionum observatione in quibusdam locis jam sint secuta vel secutura manifesto praevideantur, poterunt proponi non ut tollantur vel immutentur huiusmodi praescripta, sed ut ipsis non parvi momenti incommodis efficacia remedia a Conventu applicentur, vel ad Sedem Apostolicam recurratur.

§ 4 Licebit tamen de omnibus rebus etiam substantialibus Instituti declarationem seu explicationem a Conventu petere, ut, si visum fuerit expedire, aliquam delucidationem circa rem propositam praebeat.

68. — § 1 Res propositae decernentur per suffragia omnium congregatorum.

§ 2 Superior generalis habebit ius duo suffragia ferendi, sive secreta illa fuerint sive non, atque praerogativam in paritate non secretorum;

§ 3 attamen in electione Assistentium et Deputatorum ad "*Magnam Commissionem*" efformandam quae seligere debet proposita discutienda in Conventu generali, unicum habebit Suffragium et sine praerogativa; et si quid ab ipso aut a quibusdam Conventus deputatis propositum suffragiorum non secretorum via definiendum erit, unico suffragio cum praerogativa in paritate gaudebit.

69. — In conventu eligendi sunt ad plura suffragia secreta quatuor de numero praesentium qui, in quantum fieri poterit, sint ex antiquioribus, praesertim de numero Visitorum qui cum Superiore generali et duobus Assistentibus ad plura suffragia electis incipiant examinare an et in quibus Institutum recesserit a suo primitivo spiritu vel a suis Constitutionibus, Regulis, piis exercitiis, laudabilibus usibus et consuetudinibus; vel sit in periculo proximo et evidenti ab illis recedendi.

70. — § 1 Idcirco a die constitutionis huiusmodi deputationis ad diem designatam a Superiore generali singula membra Conventus ad hos deputatos ferent tam ea quae habent nomine Conventus provincialis proponenda, quam ea quae circa praefata ipsi observarunt;

§ 2 quae omnia debent esse scriptis mandata et subscripta.

71. — Non proponentur Conventui nisi ea quae vel Superior generalis proponere voluerit, vel “*Commissio magna*” proponenda censuerit ad pluralitatem suffragiorum.

## CAPUT DECIMUM

### DE CONVENTU GENERALI AD ELIGENDUM

#### SUPERIOREM GENERALEM

72. — § 1 Antequam deveniatur ad electionem Superioris generalis praesentibus omnibus qui ius habent interveniendi conventui post recitationem Veni Creator et exhortationem Vicarii generalis eligitur ad plura suffragia secreta Secretarius conventus;

§ 2 dein leguntur Constitutiones ut omnes electores sciant quid agere debeant usquedum fiat electio Superioris generalis.

73. — § 1 Ut electores omnes opportunam dent operam informationibus petendis et dandis et ut orationi melius vacent pro felici successu electionis, in biduo ante electionem nullus, si fieri potest, domo exibat.

§ 2 Cum vero dies electionis advenerit omnes congregati sacrum Deo offerunt pro felici electione, et hora statuta includuntur in Conclavi sub praesidentia Vicarii generalis vel eius defectu primi Assistantis generalis.

§ 3 Sessio incipitur invocatione Sancti Spiritus et B. V. Mariae affentur arcula continens nomina duorum qui a defuncto Superiore generali designantur ut digniores in successionem; et inclusis electoribus, Vicarius brevem exhortationem ad Congregatos habebit per se vel per alium a se cum approbatione maioris partis Assistantium deputatum. Promulgantur nomina duorum in illa contentorum, nisi in prima sessione Conventus judicaverit haec esse statim facienda ad petendas informationes.

§ 4 Ad plura suffragia secreta eligitur Assistens Conventus qui vigilare debet ut omnia secundum ordinem fiant; dein peracta oratione per quadrantem in silentio et coram divina Maiestate, singuli eligunt quem magis idoneum esse censerint.

74. — Singuli in schedulis praeparatis inscribent nomen illius quem unusquisque eligit in Superiorem generalem, et ordine servato, unusquisque accedit ad mensam per modum altaris praeparatam et genuflexus, alta voce dicit: “*Testem invoco Jesum Christum qui me iudicaturus est, quod ego N. N. illum eligo et nomino in Superiorem generalem quem sentio ad hoc munus ferendum aptissimum*”, quo dicto surget et schedulam plicatam in pyxidem mittet.



75. — § 1 Latis omnibus schedulis ac numeratis leguntur alta voce nomina in schedulis inventa et si quis plus quam mediam partem suffragiorum, demptis schedis nullis, sortitus fuerit, ille erit Superior generalis.

§ 2 Vicarius generalis aut is qui praesidet decretum electionis formabit et viva voce proclamabit electum;

§ 3 et continuo omnes singillatim genibus in terram flexis salutabunt ejusque manum humiliter osculabuntur per ordinem;

§ 4 qui vero electus fuerit commissum sibi onus dictamque salutationem non renuet, eius memor in cuius nomine gratam habere debet electionem.

§ 5 Quod si in primo scrutinio nemo plura medietate suffragiorum obtinuerit repetitur scrutinium usquedum medietas illa obtinebitur ; quinto scrutinio inutiliter pertentato, si electores convenerint, totum negotium electionis compromissariis referent.

76. — § 1 Absoluta electione, comburentur schedulae, hymnus Te Deum alternatim recitabitur et aperientur fores ut Congregati e loco Conventus exire valeant.

§ 2 Si in Generalem electus fuerit Vicarius, proclamatio electi fit a Secretario Conventus qui et decretum efformabit eodem modo.

77. — Officium Assistentis Conventus cessat post electionem Superioris generalis, nisi procedendum sit ad electionem Assistentium et Admonitoris Superioris generalis.

78. — § 1 Sequitur, in alia sessione, electio Assistentium et Admonitoris generalis iuxta formam consuetam canonicam,

§ 2 is electus habetur qui plura medietate suffragia retulerit, quique ut electus a Praeside conventus proclamabitur;

§ 3 Si quis ex Assistentibus electus aut Admonitor Superioris generalis absit nec facile vocari possit ante absolutum Conventum, Superior generalis ei electionem notam faciet et caetera perficiet quae in Conventu fieri debent.

79. — § 1 Quavis de causa habeatur Conventus generalis, si contingat vel jam indicto, vel coacto, vel statim post ipsum dissolutum, Superiorem generalem vel aliquem ex eius Assistentibus vel Admonitorem e vivis decedere vel accidat Superiorem generalem in eo statu esse ut Congregationem per seipsum regere non possit, in his casibus, missi a singulis Provinciis pro Conventu generali ius habebunt, absque nova convocatione et deputatione, eligendi novum Superiorem generalem vel Assistentem vel Admonitorem.

§ 2 Idem ius habebunt pro sola electione Superioris generalis etiam post aliquorum discessum, si facile et intra breve tempus revocari possunt.

80. § 1 Ceterae Conventus sessiones iuxta modum agendi praescriptum pro Conventu generali ad tractanda negotia habebuntur.

## **CAPUT UNDECIMUM**

### **DE CONVENTU SEXENNALI**

81. — § 1 Conventus sexennalis convocatur a Superiore generali sexto anno post finem ultimi Conventus generalis, deliberandi causa de cogendo vel non cogendo Conventu generali;

§ 2 huiusmodi Conventui convenire debent tantum deputati provinciarum et quidem unus pro unaquaque provincia, non autem Visitatores.

82. — § 1 Deputati eliguntur in Conventu provinciali ad plura medietate suffragia;

§ 2 eligitur autem unus deputatus et unus substitutus, servata norma procedendi sicut in Conventu provinciali convocato ad electionem deputatorum qui mitti debent ad Conventum generalem.

83. — § 1 Conventui sexennali intersunt : Superior generalis qui praesidet et dirigit Conventum, Assistentes generales, Secretarius Congregationis, et Procurator Congregationis, necnon praedicti Deputati

§ 2 fit electio Secretarii Conventus eodem modo ac in Conventu generali

§ 3 et agitur de praecipuis causis propter quas Conventus generalis habendus est, scilicet :

a) utrum habeantur dissensiones quae per Visitatores et Commissarios componi nequeant;

b) si agatur de tollendis difformitatibus aut relaxatione in observandis Regulis et

Constitutionibus cum detrimento Instituti; c) si requiratur deliberatio de re maximi momenti et perpetua, et tam difficili ut iis provideri posse dubitetur per Superiorem generalem eum suis Assistentibus.

84. — § 1 Die statuta pro deliberatione de cogendo vel non cogendo, praemissa invocatione Sancti Spiritus et proposita quaestione a Superiore generali, unusquisque ex Congregatis post orationem mentalem unius quadrantis, incipiendo a Superiore generali, qui ius habet ad duo suffragia, suum Suffragium exprimit non quidem verbis aut scriptis sed per fabas albas et nigras.

§ 2 Si albarum numerus nigrarum numerum excedat, Superior generalis alta voce denuntiabit Conventum generalem esse cogendum [*sic* = esse cogendum];

§ 3 si autem nigrae plures sint, non esse cogendum declarabit.

§ 4 Deputati non tenentur sequi sententiam et rationes suarum provinciarum pro cogendo vel non cogendo Conventu generali.

85. — § 1 Si declaratum fuerit Conventum generalem esse cogendum, Conventus sexennalis non gaudet potestate eligendi Assistentem, Admonitorem, Vicarium generalem;

§ 2 secus, si Assistens aliquis aut Admonitor, aut Vicarius generalis eligi debeant, eligatur eodem modo ac in Conventu generali.

86. — Postulata provinciarum vel Visitorum, vel particularium, commituntur Superiori generali qui sua responsa dabit in scriptis ubi primum commode poterit.

87. — Peracta ultima sessione Conventui a Superiore generali finis imponitur consueto modo, et Superior deputatos dimittet.

## CAPUT DUODECIMUM

### DE CONVENTU PROVINCIALI

88. — Conventus provincialis locum habebit quandocumque requiritur

§ 1 electio deputatorum ad Conventum generalem quavis de causa convocatum;

§ 2 aut electio unius deputati ad Conventum sexennem.

89. — § 1 In Conventu provinciali agendum quoque erit de postulatis quae Conventui generali nomine Provinciae proponenda sunt aut Superiori generali.

§ 2 In Conventu provinciali habendo pro sexenniali decernitur utrum Conventum generalem cogere expediat.

90. — § 1 Ad Visitatorem pertinet Conventum, provincialem convocare, diem statuere, domumque designare in qua Conventus celebrari debeat

§ 2 Visitatoris ius et officium est praesidendi atque dirigendi Conventum cum iure suffragii et praerogativa in suffragiorum non secretorum paritate, et curare ut omnia procedant ordine, modo et forma debitis iuxta Congregationis statuta et decreta.

91. — § 1 Conventui provinciali interesse debent : Visitator, singuli Superiores domorum Provinciae et e singulis domibus unus sacerdos electus in deputatum a Conventu domestico, necnon Procurator provincialis, Secretarius generalis, Procurator generalis.

§ 2 Eligendus est Secretarius Conventus e numero Congregatorum ad plura suffragia qui acta accurate describat, quaeque Conventui perfecta subscribuntur ab omnibus Congregatis et ab ipso Secretario.

§ 3 Nominandus quoque erit Assistens Conventus qui curam habebit vigilandi ut disciplina servetur;

§ 4. eligitur autem sicut Secretarius ad plura suffragia.

92. — § 1 Die et hora statutis a Visitatore pro negotio electionis deputatorum omnes convocati conveniunt ad locum destinatum et praemissa Sancti Spiritus invocatione et per horae quadrantem oratione mentali, proceditur ad electionem duorum deputatorum ac duorum substitutorum ad plura suffragia de numero sacerdotum ejusdem provinciae;

§ 2 Si agatur de Conventu ad sexennem eligitur tantum unus deputatus et unus substitutus ad plura medietate suffragia.

93. — Eligendi sunt sacerdotes Provinciae

§ 1 qui Sexennium post emissa vota (perpetua ?) (Canon 578, n. 3) in Congregatione exegerint;

§ 2 qui notitiam non mediocrem et experientiam habeant rerum et functionum nostri Instituti

§ 3 qui habeant ardens desiderium et zelum promovendi spiritum nostrum;

§ 4. qui regulas et constitutiones fideliter observent

§ 5 qui iudicio polleant ad deliberandum et agendum.

94. — Singulis publice numeratis et lectis schedulis Visitator proclamabit electos in deputatos, et in substitutos.

95. — § 1 Peracto negotio electionis, agendum erit de iis quae provincia proponere voluerit vel Conventui generali vel Superiori generali  
§ 2 ad hoc proponuntur Conventui diversa postulata;  
§ 3 secretarii erit omnia colligere ;  
§ 4 quae autem conventus probaverit mittentur per deputatos ad Conventum generalem aut ad Superiorem generalem.

96. — § 1 Quibus peractis Visitator declarabit finem Conventus et Te Deum recitabitur ;  
§ 2 Acta omnia simul ac postulata probata et non probata a Secretario Conventus conscripta subscribentur ab omnibus Congregatis iuxta ordinem sedentibus, incipiendo a Visitatore, et muniri debent sigillo Visitatoris;  
§ 3 Actorum huiusmodi exemplar exaratum a secretario Conventus et subscriptum tum a Visitatore tum a secretario consignabitur primo Deputato;  
§ 4 idem fiet de postulatis adprobatis.

97. — § 1 Si Visitator fuerit impeditus se conferendi ad Conventum generalem, in suum locum substituet unum ex duobus electis in deputatum  
§ 2 Si autem Visitator mortuus fuerit, nullo nominato qui eius vices geret, primus ex duobus electis succedat in locum Visitatoris, secundus in primum deputatum, et primus substitutus in secundum deputatum.

## **CAPUT DECIMUM TERTIUM**

### **DE CONVENTU DOMESTICO**

98. — Conventus domesticus non aliis unquam de causis seu a Visitatore, seu a Superiore, convocari potest et solita forma celebrari, nisi pro electione sacerdotis ad Conventum provincialem mittendi.

99. — § 1 Superiori legitimo domus, vel Assistenti, qui totum superioritatis officium exercent, ius esto convocandi, praesidendi Conventum, postquam Visitator huiusmodi obligationem Conventum celebrandi indixerit.

§ 2 Convocandi autem sunt omnes Sacerdotes qui vota (ad normam Can. 57) Congregationis emisissent, et qui sint membra illius domus a Visitatore destinata ad munia nostra obeunda.

§ 3 Convocari possunt missionarii accidentaliter praesentes hi tamen non habent vocem passivam.

100. — Pridie quam fiat deputatio mittendi ad Conventum provincialem, Superior, hora competenti, praefatos sacerdotes convocat ac exponit qualitates requisitas in eligendo, qui nempe talis sit ut sexennium post emissa (temporaria vel perpetua (cfr. Canon 578 § 3)

vota in Congregatione exegerit, experientiam habeat rerum nostrarum, regulas ac Constitutiones fideliter observet, iudicio ad deliberandum et agendum praeditus sit.

101. — § 1 Sequenti die, hora et loco a Superiore designatis, omnibus convocatis praesentibus praemissa a Superiore brevi expositione rei, et facta per horae quadrantem oratione mentali, primo eligitur Secretarius Conventus ad plura suffragia secreta in schedulis scriptis expressa, quibus numeratis et perlectis, qui plura sortitus fuerit suffragia valida erit electus in Secretarium

§ 2 nemo potest gaudere iure duplicis suffragii activi, excepto Superiore generali;

§ 3 qui autem sibimetipsi suffragatus est privatur voce activa et passiva.

102. — § 1 Electo Secretario, eligitur eodem prorsus modo deputatus ad Conventum provincialem, ipso Secretario extrahente a pixide, numerante et alta voce legente suffragia eo modo ut Superior et alius scrutator videant et omnes audiant;

§ 2 electus in deputatum erit ille qui plura suffragia valida sortitus fuerit.

§ 3 Nemini autem licebit quidquam in contrarium opponere aut contra validitatem protestari, sed fiet deputationis instrumentum iuxta formulam praescriptam in libro necnon transumptum a Superiore et a Secretario subscripta et sigillo Superioris munita ; Si in deputatum electus fuerit ipse secretarius transumptum subscribetur ab antiquiore vocationis.

§ 4 in libro autem omnes subscribent ipseque deputatus.

§ 5 Sic finitur Conventus domesticus, gratiis Deo relatis.

## **CAPUT DECIMUM QUARTUM**

### **DE VISITATORE**

103. Visitator est Superior major qui alicui provinciae praeficitur ad eam regendam iuxta Regulas ac Constitutiones sub dependentia Superioris generalis.

104. — Visitator nominatur a Superiore generali et constituitur in officio pro tempore quod superior generalis expedire iudicaverit.

[105]. — § 1 Ad munus Visitatoris assumi debet sacerdos Instituti qui triginta annos aetatis habeat et decem saltem post primam professionem (Canon 504) in Congregatione exegerit annos;

§ 2 debet esse vir selectus

§ 3 operibus Congregationis non mediocriter tantum instructus;

§ 4 erga confratres officiosus, atque vere devotus.

106. — Visitatoris ius et officium est

§ 1 visitare domos suae provinciae singulis annis vel saltem alternis et relationem mittere Visitationis ad Superiorem generalem

§ 2 admittere alumnos ad Seminarium internum et huius directionem maxime curare et perficere;

- § 3 admittere seminaristas ad emissionem votorum temporariorum post unum vel duos annos probationis et perpetuorum tempore in Constitutionibus statuto;
- § 4 scholasticos provinciae sedula cura adiuvere in virtutibus excolendis et scientia debita acquirenda, magistros idoneos instituendo
- § 5 examinare et adprobare programma studiorum in omnibus disciplinis tum philosophicis tum theologicis; itemque programma pro examine triennali neo-sacerdotum, et pro examine ad iurisdictionem acquirendam pro confessionibus audiendis;
- § 6 praesentare ad ordines ac testimoniales litteras dare pro ordinatione nostrorum quos idoneos reperit *ad titulum mensae communis* (Benedictus XIV), et etiam *extra tempora* (Romani Pontifices)
- § 7 praesentare Superiori generali sacerdotes qui ab eo nominentur Superiores domorum, Director Seminarii interni et Director scholasticorum
- § 8 nominare assistentem, sub-assistentem, consultores, admonitorem, confessarios ordinarios nostrorum, procuratorem domus (Cap. 1, par. 2, n. 4);
- § 9 cum consensu sui Consilii contractus necessarios et convenientes facere
- § 10 at quoad alienationes bonorum provinciae vel domorum provinciae cui praeest, itemque quoad debita et obligationes contrahendas vel permittendas ipse agere poterit cum suo Consilio pro valore non excedente 15000 libellarum aut francorum, secus recurrendum est ad Superiorem generalem;
- § 11 invigilare super observantiam regularum et Constitutionum hancque promovendo, corrigendo abusus, utendo quoad incorrigibiles aut contumaces, si casus ferat, canonicis poenis;
- § 12 fovere omnibus viribus bonum et incrementum Congregationis necnon ministeria et opera eiusdem praesertim missionum;
- § 13 exacte complere ea quae ei mandaverit Superior generalis eique rationem fideliter reddere
- § 14 votum habere in Conventu generali;
- § 15 praesidentiam ac directionem exercere in Conventu provinciali quem ipse convocare debet quoties legitime indicitur Conventus generalis;
- § 16 gaudere praerogativa in suffragiis non secretis.

107. — Visitatores Suffragium per litteras dant

§ 1 quando agitur de dissolvenda aliqua domo;

§ 2 de substituendo Assistente vel Admonitore Superioris generalis

§ 3 de convocando Conventu generali in causa depositionis Superioris generalis.

108. — Visitor adprobat nostros pro confessione nostrorum ac deputat approbatos, necnon ad sacram praedicationem Verbi Dei, quas facultates absolvendi a peccatis et praedicandi aliis delegare potest.

109. — Locus residentiae Visitoris statuitur a Superiore generali.

## **CAPUT DECIMUM QUINTUM**

### **DE CONSILIO VISITATORIS, DEQUE EXAMINATORIBUS.**

110. — § 1 Consilium Visitoris constituitur saltem tribus consultoribus quorum unus erit Admonitor eiusdem;

§ 2 Procurator quoque provincialis constituendus est qui partem habeat in Consilio quoties agitur de temporalibus provinciae bonis.

111. — Huiusmodi Consultores item ac admonitor et procurator provincialis nominantur a Superiore generali post praesentationem factam ab ipso Visitatore, licet ille non teneatur nominare praesentatum.

112. — Consultorum Provincialium officium erit,

§ 1 Visitatorem in Provinciae suae gubernatione adiuvere,

§ 2 negotia alicuius momenti in Consilio tractare,

§ 3 suam sententiam seu Suffragium iuxta casus sincere et fideliter praebere iuxta doctrinam et praxim nostrae Congregationis.

§ 4 Pergere ad Consilium coadunandum saltem semel in mense et quoties Visitori visum fuerit.

113. — § 1 Consultores provinciales constituuntur ad nutum Superioris generalis

§ 2 adveniente autem morte aut cessatione ab officio Visitoris gubernium temporaneum provinciae cedit primo Consultori provinciali donec a Superiore generali provisum fuerit.

114. — § 1 Procurator provincialis quoque nominatur a Superiore generali.

§ 2 in eo congruenter requiruntur eadem qualitates quae requiruntur pro Procuratore generali;

§ 3 eius officium est ad nutum.

115. — § 1 In singulis provinciis aderunt quoque Examinatores a Visitatore nominandi ad tempus vel ad nutum;

§ 2 ad huiusmodi officium assumendi sunt missionarii idonei, graves, prudentes necnon zelo disciplinae regularis praestantes.

116. — Examinatorum opera Visitor uti potest

§ 1 in examinandis adspirantibus antequam ad Seminarium internum admittantur ut dignoscatur eorum finis, aptitudo, vocatio;

§ 2 ad perpendendam vocationem, ingenium, ceterasque dotes a Constitutionibus praescriptas, eorum qui admittendi sunt ad vota, adhibitis quoque secretis informationibus, et ad sententiam de eorum idoneitate dandam;

§ 3 pro approbatione ad audiendam confessionem et ad Verbi divini praedicationem quoties id Visitor opportunum duxerit;

§ 4. ad examini subiiciendos neosacerdotes nostros iuxta praescriptum can. 130 Juris Canonici.

## CAPUT DECIMUM SEXTUM

## DE VICE-PROVINCIA

117. — Viceprovincia constitui debet saltem tribus domibus, et regitur a vice-visitatore.

118. — Duplicis generis vice-provincia esse potest :

1° viceprovincia quae a nulla provincia jam formata dependet, utpote in via evolutionis et organisationis ad novam provinciam efformandam;

2° vice provincia quae originem ducit ex alia provincia jam formata a qua sua membra accipit et cum ea aliquid totum efformat.

In primo casu vice-provincia est autonoma, directe et immediate dependet a Superiore generali sicuti aliae provinciae formatae; in secundo casu vero viceprovincia non existit omnino autonoma, sed immediate et directe dependet a Visitatore provinciae cujus est filialis, i. e. ex qua originem ducit, et mediate a Superiore generali.

119. — Vice-provinciae autonomae jus habent mittendi saltem unum deputatum, in conventu vice-provinciali eligendum, qui ipso vice-visitatore esse potest, ad Conventum generalem. Vice-provinciae secundi ordinis vero, id est non autonomae, jure tantum gaudent eligendi duos deputatos mittendos una cum vice-visitatore ad conventum provincialem provinciae matris seu originis.

120. — Vice-visitatores a Superiore generali nominantur, ad ejus nutum constituuntur et iis tantum facultatibus pollent quas Superior generalis ipsis concedendas judicaverit,

## CAPUT DECIMUM SEPTIMUM

### DE SUPERIORIBUS LOCALIBUS

121. — Superior localis ille est cui cura alicuius domus concredita est ad eam gubernandam iuxta Regulas et Constitutiones sub dependentia immediata Visitoris.

122. — Superior localis nominatur generatim a Superiore generali et ab eo destituitur, nisi quoad nominationem Visitor a Superiore generali potestatem obtinuerit eum nominandi; sed confirmari debet a Superiore generali.

123. — § 1 Superior localis constituitur autem ad tempus, non ultra triennium;  
§ 2 quo exacto poterit ad aliud triennium non autem ad tertium triennium statim reassumi in eadem domo, nisi Indultum apostolicum intercedat aut Superior generalis aliquo privilegio sit praeditus ;  
§ 3 removeri tamen potest ab officio quotiescumque Superiori generali visum fuerit in Domino. (Quoad *Maiora Seminaria*, Vide Rescriptum S. C. Religiosorum, 28 Aprilis, 1932).

124. — Superioris munus dandum est sacerdotibus;  
§ 1 capacitas dirigendi viros spirituales



§ 2 suae perfectionis studiosis et alienae, necnon totius domus quae eis gubernanda datur cuius curam gerere debent tam in spiritualibus quam in temporalibus.

§ 3 Superior debet esse a) in orationibus aliisque actionibus suis Deo bene unitus, b) sollicitus boni communis, c) severitatem cum benignitate coniungens, d) in rebus Congregationis nostrae sat versatus.

125. — Superioris ius et officium est

§ 1 curare a) ut omnes et singuli suae domus incumbant in regularum observatione ac Votorum; b) ut exercitia pietatis peragantur quae in usum sunt Congregationis, ea praesertim quae in communi fieri debent;

§ 2 ipsemet omnibus verbo et exemplo praecellere

§ 3 curam suorum habere tam in spiritualibus quam in temporalibus et quidem magna cum humilitate et caritate;

§ 4 subditos monere atque corrigere;

§ 5 tertio quoque mense Visitatorem certiore facere de statu domus sibi concreditae

§ 6 Conventum domesticum convocare atque dirigere quoties a Visitatore statuitur

§ 7 et ipso ius habet interveniendi ad Conventum provincialem.

126. — § 1 In dirigenda domo Superior adiuvatur ab assistente, consultoribus et procuratore necnon ab admonitore qui omnes nominantur a Visitatore ad nutum;

§ 2 alia munera et officia minora committuntur a Superiore aliis sacerdotibus et fratribus coadiutoribus domus;

§ 3 Superior localis munere procuratoris generaliter ne fungatur, licet componi possit si necessitas id exigat (can. 516,3, 5).

127. — § 1 Consilium domesticum Superior cogere debet ordinarie unaquaque hebdomada in quo exponet ea quae respiciunt bonum spirituale et temporale domus sibi commissae.

§ 2 Consultores suum iudicium proferent prout in Domino iudicaverint, quin Superior teneatur eorum sententiam sequi, nisi agatur de casibus quibus ius exigit Suffragium deliberativum.

128. — § 1 Superior domus nullam novitatem in sua domo introducet aut introduci permittet sine consensu Visitatoris, nec a legitimis usibus recedere debet sine Visitatoris approbatione;

§ 2 nullam novam constructionem admittet nec obligationem contrahat nisi de licentia Visitatoris (Reg. Sup. loc. cap. III, nota; vi, 2°).

129. — Superior domus habeat archivum et sigillum proprium (Reg. Sup. loc. 1, II ; VII, 5).

130. — § 1 Superior potestatem habet ordinariam in foro interno, ratione exemptionis, pro suis subditis et iis qui diu noctuque sunt in domo sua commorantes;

§ 2 dispensare potest suos subditos in lege ieiunii et abstinentiae ad modum parochi, item in lege de observantia festorum Can. 1245, 3).

131. — § 1 Superioris est omnibus aegrotis suae domus per se vel per alios ultima sacramenta ministrare (can. 514, 1)  
§ 2 et his pie demortuis mediocria funebria celebrare in nostris ecclesiis et oratoriis (can. 514, 4 ; 1221).

## **TITULUS QUARTUS**

### **DE BONIS TEMPORALIBUS**

132. — Non modo Congregatio sed etiam provincia et domus Congregationis sunt capaces acquirendi et possidendi bona temporalia cum redditibus stabilibus sen fundatis (can. 531).

133.— § 1 Bona tum Congregationis, tum provinciae et domus administrari debent a respectivis Superioribus cum suo consilio et procuratore seu economo ad modum boni patrisfamilias intra limites a iure et a Constitutionibus nostris praescriptos  
§ 2 actus ordinariae administrationis exercentur a procuratore sub directione Superioris.  
§ 3 Largitiones ex bonis domus, provinciae, Congregationis non permittuntur nisi ratione eleemosynae vel alia justa de causa, de venia superioris et ad normam constitutionum (Canon 537).

134. — § 1 In alienandis rebus pretiosis (ratione materiae, artis, historiae, antiquitatis), aliisve bonis quorum valor superet summam 30000 francorum aut libellarum, vel de contractibus, debitis, obligationibus ultra indicatam summam requiritur beneplacitum apostolicum (can. 534) tum ad liceitatem tum ad valorem  
§ 2 secus requiritur et sufficit licentia Superioris generalis in scriptis data cum sui Consilii consensu per secreta suffragia manifestata (534, 1) si valor contineatur intra summam 30.000 francorum vel libellarum,  
§ 3 Si vero contineatur infra summam 1000 francorum aut libellarum sufficit licentia Superioris localis cum suo Consilio (can. 1532).

135. — § 1 In precibus pro obtinendo consensu ad contrahenda debita vel obligationes, exprimi debent alia debita vel obligationes quibus Congregatio, provincia, domus, ad eum diem iam gravatur, secus obtenta venia invalida est (can. 534, 2); in alienationibus bonorum tum mobilium tum immobilium  
requiruntur quoque ad liceitatem aestimatio rei a probis peritis facta, et iusta causa.  
§ 2 Pecunia cui onera missarum aut alia onera adnexa sunt, quominus expendatur, prohibetur, antequam prius oneribus satisfiat.

136. — § 1 Tam superiores quam procuratores neque licite, neque valide poterunt debita vel obligationes nomine Congregationis contrahere nisi intra fines sui muneris et iuxta normas Juris et Constitutionum;  
§ 2 quare Congregatio, provincia, domus, respondere debent tantum de debitis vel obligationibus iuxta praefatas normas;

§ 3 de ceteris respondebunt qui illicite aut invalide contraxerunt.

137. — § 1 Procuratores rationem reddere debent superioribus de sua administratione, exhibitis registis accepti et expensi, quae examinanda erunt atque subscribenda a) et quidem a Superiore generali si agatur de Procuratore generali bis in anno, b) a Visitatore si agatur de Procuratore provinciali item bis in anno, c) a Superiore si de procuratore domus singulis mensibus;

§ 2 subscribentur autem si exacta reperiantur.

§ 3 Computum generale totius anni totiusque provinciae referri debet a) a Procuratore provinciali Visitatori post finem anni, b) a locali procuratore Superiori domus in finem anni qui item Visitatori referet.

§ 4 Visitator autem post finem anni Superiori generali totius provinciae et singularum domorum computum huiusmodi referet.

138. — Licentiae non scriptis datae censentur nullae.

139. — Cum propter varias provinciarum condiciones impossibile sit aliquam regulam generalem statuere circa summam quam Superiores locales sine speciali licentia non poterunt excedere, res pro unaquaque Provincia definienda est a Visitatore cum Consilio provinciali et approbationi R. A. D. Superioris generalis proponenda ut vim et auctoritatem accipiat (Decretum 564).

## TITULUS V

### DE CONFESSARIIS

140. Vi privilegii exemptionis quo gaudet Congregatio nostra (can. 514, 875), utpote societas clericalis, ad recipiendas confessiones nostrorum professorum, novitiorum, aliorumve domo diu noctuque degentium causa famulatus aut educationis, aut hospitii, aut infirmae valetudinis, iurisdictionem delegatam, praeter Ordinarium loci, confert proprius quoque Superior eorundem; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus cleri saecularis, aut alius religionis vel societatis (can. 875).

141. — § 1 Qui facultatem audiendi confessiones obtinuerit a Superiore generali potest absolvere omnes nostros ubique terrarum;

§ 2 qui vero acceperit a Visitatore facultatem absolvere potest confratres provinciae ubique terrarum.

142. — § 1 Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium, sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur;

§ 2 sacerdotes autem nostri eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris ad normam harum Constitutionum.

§ 3 In singulis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati ad confessiones audiendas (Can. 518, 1) cum potestate absolvendi etiam a casibus in Congregatione reservatis.

§ 4 Superiores possunt, servatis de jure servandis, confessiones audire subditorum qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne faciant (Can. 518, 2);

§ 5 caveant Superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur (Can. 518, 3).

§ 6 Firmis constitutionibus quae confessionem statis temporibus praecipunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, si quis ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est (Can. 519).

## TITULUS VI

### DE ADMISSIONE IN CONGREGATIONEM

143. — Ius admittendi aspirantes in Congregationem spectat:

§ 1 ad Superiorem generalem pro universa Congregatione;

§ 2 ad Visitatores vero pro sua quisque provincia, audito suo Consilio.

144. — § 1 In admissione servandae sunt normae quae sive ad validitatem sive ad liceitatem statutae sunt in can. 542 Codicis Juris Canonici;

§ 2 Pro aspirantibus ad statum fratrum coadiutorum firmum sit praescriptum de praemittendo pro aspirantibus postulatu unius anni qui a Superioribus majoribus praedictis prorogari poterit, non autem ultra semestre.

§ 3 Postulatus peragi debet in domo Seminarii interni vel etiam in alia domo Congregationis in qua disciplina secundum Constitutiones et Regulas accurate servetur sub speciali cura probati missionarii ab huiusmodi Superioribus designati.

145. — § 1 Praeter impedimenta de quibus in can. 542, admittendi non sunt : a) qui laborant imbecillitate animi, iudicium parum sanum reddente; b) qui ob infirmitatem impares sunt functionibus nostri Instituti obire ; c) qui aetate minores sunt sexdecim annorum ; d) qui notabili corporis deformitate laborant; e) dimissi a nostra Congregatione aut a Seminario probationis sponte egressi sunt ; f) qui in aliqua religione habitum receperint; licet non adhuc professi.

§ 2 Ab huiusmodi impedimentis Visitor dispensare nequit.

§ 3 pro eorum admissione adeundus ergo esset Superior generalis si aspirantes, uno vel altero ex his defectibus gravati, spectatis qualitatibus praediti sint.

146. — Aspirantes antequam admittantur exhibere debent documenta necessaria recepti baptismatis ac confirmationis.

147. — Antequam aspirantes et postulantes Seminarium probationis incipiant praeter exercitia spiritualia octo dierum integrorum quae a seminaristis quotannis peraguntur, et alia quinque dierum quae locum pro iisdem habent circa medietatem anni, quibus et postulantes participant, exercitiis spiritualibus per tres dies, vacent et iuxta prudens consilium confessarii totius anteactae vitae confessionem instituant (can. 541, et Reg. Commun. x, 10; Reg. Visit. V par. 5).

148. § 1 Erectio Seminarii interni pertinet ad Superiorem generalem cum suo Consilio;  
§ 2 in domo autem qua erectum est destinandi sunt missionarii qui studio observandae disciplinae maxime eluceant.

149. — § 1 Seminarium probationis pro unoquoque aspirante vel postulante initium habet cum quis in Seminarium admissus declaratur a Directore;  
§ 2 et finem habet post integrum ab illa die biennium, ita ut dies ingressus non computetur et tempus finiatur recurrente ultima die eiusdem numeri.

150. — § 1 Director seu Magister Seminarii interni designatur a Visitatore sed a Superiore generali confirmari debet  
§ 2 sit sacerdos spiritu vocationis plenus, in rebus spiritualibus insigniter versatus, qui accessum habeat facilem ut omnes qui in Seminario instituuntur libere ad eum recurrant declaraturi suas difficultates et animi anxietates (Reg. Scm. I); prudentia, caritate et Regularum observantia conspicuus.

151. — § 1 Directoris erit institutio ac regimen Seminaristarum ita ut nemini liceat in his se immiscere, excepto Superiore domus quoad ea quae ad disciplinam universae domus spectant in qua situm est Seminarium  
§ 2 Tertio quoque mense cum Superiore domus sermonem habebit de singulis seminaristis  
§ 3 ac quolibet semestri, Visitatorem litteris certiosem faciet de Seminarii statu necnon de moribus, ingenio, indole, valetudine universaque agendi ratione cuiuscumque seminaristae,

152 — § 1 Iuxta Seminaristarum numerum detur unus vel plures confessarii ordinarii qui in ipsa domo commorentur;  
§ 2 Ipse Director eiusque socius ab eorum confessione se abstineant, nisi ex gravi causa et urgenti ipsi Seminaristae in casu particulari id petant  
§ 3 alii quoque deputentur confessarii quos Seminaristae libere adire possint  
§ 4 nec desit confessarius extraordinarius cui quater saltem in anno omnes Seminaristae accedant, saltem benedictionem petaturi;  
§ 5 Seminaristis quoque ius est fruendi can. 519.

153. — § 1 Seminaristae omnes clericorum privilegiis fruuntur (can. 680) non exclusis fratribus coadiutoribus, atque spiritualibus gratiis Congregationi concessis,  
§ 2 si morte praeveniantur ad suffragia ius habent eodem modo ac ceteri qui vota iam emisissent.

154. — Visitatoris erit Seminaristas dimittere quin teneatur dimisso causam patefacere.

155. — § 1 Biennio (vel uno anno) Seminarii elapso, seminaristae qui idonei iudicati fuerint ad vota triennalia admittantur, secus dimittantur;

§ 2 si dubium autem supersit de eius idoneitate, probationis tempus prorogari poterit a Visitatore aut a Superiore generali, non tamen ultra semestre.

156. Ante emissionem votorum, sive temporalia sive perpetua ea sint, praeter ea de quibus sub. no 147, Seminarista exercitiis spiritualibus vacare debet.

## TITULUS VII

### DE VOTIS

157. — Vota Congregationis Missionis

§ 1 non sunt publica sed privata (Breve Alexandri VII) cum nemo intersit qui ea acceptet nomine sive Congregationis sive Romani Pontificis (Alexander VII, 1655, 1659, 1662)

§ 2 sunt tamen talis roboris constituta ut nemo infra Romanum Pontificem aut Superiorem generalem dispensare possit;

§ 3 Superior autem generalis ex gravi causa dispensare potest in actu dimissionis tantum ; itemque Vicarius generalis si urgens adsit necessitas.

§ 4 Nequeunt valide dispensari aut commutari aut alias dissolvi vigore cuiuscumque Iubilei, Bullae cruciatae, privilegiorum, indulti, concessionis expressam dictorum votorum mentionem non facientium. (Benedictus XIV, 16 die 1742 ; Alexander VII, 1665 ; Clemens X, 23 junii 1670).

§ 4 [sic] Huiusmodi vota perpetua sunt;

§ 5 Emittenda sunt ad normam can. 574 post professionem valituram ad triennium vel *ad annum* (ep. Secretarii C. de Rel., 13 Martii 1946), post unum ? vel duos ? annos probationis;

§ 7 sunt autem simplicia iuxta ambitum in his Constitutionibus definitum.

§ 8 Temporaria vota eodem modo conscientiam professi obligant ac perpetua, salva eorum vi temporaria.

158. — § 1 Potestas admittendi ad vota tum temporaria tum perpetua est penes Superiorem generalem, et Visitatores pro sua quisque provincia (Reg. Visit. V, 7);

§ 2 sunt autem vota paupertatis, castitatis, obedientiae et stabilitatis in Congregatione in ordinem ad salutem pauperum rusticanorum sese applicandi.

159. — Ad validitatem horum votorum perpetuorum requiritur ut :

a) biennium (vel annum) probationis quis valide perfecit;

b) praecesserit professio temporaria triennis; c) emissio libere fiat, sine vi, aut metu gravi aut dolo; d) expressa sit.

160. — Immediate post votorum perpetuorum emissionem curabit Visitator ut qui vota emisericit perpetua statim in libro ad hoc destinato testimonium emissionis scribat et subscribat.

## CAPUT I

### DE PAUPERTATE

#### I. Ratione voti

161. — a) Omnes et singuli nostrae Congregationis intelligent, quod, exemplo primorum christianorum, erunt nobis omnia communia, et illa singulis distribuentur a Superioribus, nimirum victus, vestitus, libri, et supellectilia et caetera, prout cuique opus erit. b) Ne tamen quicquam fiat contra paupertatem, quam amplexi sumus, nemo de hujusmodi bonis Congregationis disponere, aut dispensare quicquam poterit, nisi de licentia Superioris. (Reg. Commun. III, par. 3).

c) Praeterea, nullus quicquam habebit inscio, vel non concedente Superiore; aut quod non sit paratus statim relinquere ad praeceptum (Reg. Commun, III, par. 4).

d) Nemo ulla re tanquam propria utetur.

e) Nemo quicquam donabit, aut accipiet, vel dabit mutuo aut commodato, aut aliunde petet, sine licentia Superioris (Reg. Commun. in, par. 5).

162. — Quicumque e nostris adstrictus votis vel temporaneis vel perpetuis conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, quorum tamen usus et reditus restringuntur normis sequentibus

#### A) QUOAD BONA IMMOBILIA

§ 1 Habemus dominium bonorum et beneficiorum simplicium quae cum vovemus possidemus, aut in futurum possidebimus;

§ 2 Habemus dominium bonorum immobilium quae jure haereditario [*sic = haereditario*] nobis obveniunt;

§ 3 Habemus dominium bonorum immobilium propria pecunia vel titulo donationis nobis factae aut legato aut alia quavis ratione legitima acquisite.

§ 4 de his disponere possumus sive inter vivos sive per testamentum sine licentia Superiorum; possumus quoque libere acceptare et resignare beneficium simplex, expensas tamen ad hoc facere non possumus sine licentia Superioris

#### B) QUOAD BONA MOBILIA

§ 1 habemus dominium reddituum illorum bonorum immobilium et beneficiorum simplicium ita tamen ut eos expendere aut in usus proprios convertere aut in opera etiam pia expendere sine licentia Superioris non possimus

§ 2 habemus dominium bonorum mobilium propria pecunia vel donatione intuitu personae nobis facta, aut alio quovis modo legitimo acquisite;

§ 3 quod si levioris sint momenti et usui Missionariorum accommodata, quilibet censetur ea Communitati cedere

§ 4 si vero pretiosa sint et statum nostrum dedeant, nec ea sine licentia Superioris servare, nec iis etiam cum illius facultate uti, illaeso paupertatis voto, possumus;

§ 5 non possumus tamen sine licentia Superioris comparare bona mobilia ex pecunia quae iure sanguinis hereditario aut ab intestato ad nos pervenit;

§ 6 ex pecunia autem nobis perventa jure sanguinis, aut ab intestato, possumus sine licentia acquirere bona immobilia aut census

§ 7 non autem eadem comparare ex pecunia quae nobis advenit legato, donatione inter vivos intuitu personae facta, vel alio quovis modo legitimo, vel etiam ex redditibus bonorum immobilium aut beneficiorum simplicium, sine licentia Superioris;

§ 8 reus est violati voti paupertatis qui sine licentia Superioris pecuniam sibi propriam secum gestat, aut apud alium servat

§ 9 item qui redditus suos servat sine animo eos expendendi cum facultate Superioris, vel in proprios usus necessarios vel in opus pium;

§ 10 licebit tamen de licentia Superioris annuos redditus servare ad certam summam efformandam pro determinato opere instituendo

§ 11 non peccat contra votum paupertatis qui sine licentia vel pecuniam suam expendit ad reparationes necessarias bonorum suorum immobilium aut beneficialium faciendas, vel remittit villico pensionem suorum immobilium, aut illius partem, si illa pensionis diminutio aut remissio sit ex iustitia aut aequitate debita ; requiritur licentia si sit liberalis et mere gratuita

§ 12 peccat contra votum paupertatis qui sine licentia Superioris, parentibus non indigentibus donat verbo vel scripto, tituli sui patrimonialis aut aliorum suorum immobilium redditus;

§ 13 peccat contra votum paupertatis qui pecuniam undecumque conquistam expendit in usus Canonibus, Regulis Congregationis, aut Decretis Conventuum generalium adversos, etiam data a quovis Superiore licentia.

#### C) QUOAD BONA COMMUNITATIS ET QUOAD FRUCTUS FUNCTIONUM:

§ 1 peccat contra votum paupertatis qui sine licentia Superioris sibi retinet datum intuitu functionum, officiorum, ministeriorum sibi commissorum, aut laboris proprii ingenii (ut ex libris quorum quis sit auctor aut editor), aut pensionis obtentae ob vulnera et infirmitates in bello, aut stipendii missarum ; atque iniustitiae quoque reus est si id in suum aut alienum usum impendit;

§ 2 item peccat contra paupertatis votum qui clam sine licentia Superioris bona Communitatis subripit, donat, aut alio quovis modo in suum vel alienum usum convertit;

§ 3 Superiores vero contra paupertatem et iustitiam rei sunt qui ea in usus a statu nostro alienos absumunt et prodigunt;

§ 4 peccat contra votum paupertatis qui sine licentia Superioris vendit, alteri donat libros et alia etiam propria pecunia comparata;

#### D) QUOAD LICENTIAS DANDAS:

Superiores nequeunt concedere licentias indefinitas quoad tempus et modum, aut concedere facultatem expendendi pecuniam in usus a S. Canonibus, Regulis, Decretis Conventuum generalium nobis interdictos (Conventus Generalis xi, Sess. 15-19).



## II. Ratione Virtutis

Cum ipse Christus verus universorum bonorum dominus, ita paupertatem amplexus fuerit, ut non haberet ubi, reclinaret caput suum, eosque, qui secum in missionibus laboraverunt, Apostolos scilicet et discipulos, in simili inopiae gradu constituerit, ita ut nihil proprium haberet ; et sic expediti cupiditatem divitiarum quae totum fere mundum pendit, melius ac commodius expugnarent : unusquisque in hae virtute colenda, ipsum pro sua tenuitate imitari conabitur, certo sciens hanc fore inexpugnabile propugnaculum, quo Congregatio, divina aspirante gratia, perpetuo conservabitur (Reg. Com., cap. III, 1).

163. — § 1 Ratione virtutis paupertatis sodales se abstineant a quovis deordinato affectu erga temporalia bona, parati ad sustinendam prompto animo illorum privationem, rati paupertatem esse fundamentum Congregationis;

§ 2 quare nullus superflua aut curiosa exquiret;

§ 3 necessaria autem, ipsorumque desiderium ita quisque moderabitur, ut victus, cubiculi, et lecti ratio, sit tamquam pauperi accommodata;

§ 4 atque in his, sicut in omnibus, effectus aliquos paupertatis experiri sit paratus

§ 5 quin etiam vilissima quaeque eorum, quae domi sunt, sibi tribui libenter patiatur (Reg. Com. Cap. III, par. 7)

§ 6 Nemo quidquam habebit quod non sit paratus relinquere ad superioris nutum.

§ 7 Et ut nihil apud nos cernatur quod proprietatem redoleat, cubicula nostra non ita erunt clausa, quin extrinsecus aperiri possint

§ 8 nec in iis ulla arca, sive quicquam aliud clave particulari obseratum asservabitur, nisi cum expressa Superioris facultate (Reg. Com. cap. III par VIII)

§ 9 Et quoniam virtus paupertatis solo appetitu inordinato ad bona temporalia potest violari: unusquisque diligenter cavebit, ne hoc malum etiam quoad beneficia, sub specie boni spiritualis ambienda, cor suum invadat; ideoque, nequidem ad ullum beneficium, sub quocumque praetextu aspirabit (Reg. Com. cap. III, par. X).

## CAPUT II

### DE CASTITATE

164. — § 1 Vi voti castitatis sive clerici sive fratres coadiutores sese obligant ad celibatum ita ut matrimonium sit eis graviter illicitum

§ 2 et insuper ad se abstinendum a quocumque actu sive interno sive externo castitati opposito.

165. — § 1 Ad meliorem castitatis observantiam, quisque sensus tum interiores, tum exteriores vigilantissime custodiet

§ 2 mulieres nunquam solus cum sola, loco et tempore indebitis, alloquetur ; illas alloquendo, vel ad eas scribendo, a verbis, etiamsi piis, teneram erga eas benevolentiam redolentibus, omnino abstinebit

§ 3 Mulierum confessiones audiendo, sicuti extra confessionem colloquendo, ad eas propius non accedet : nec de sua castitate praesumet (Reg. Comm. IV, 2).

§ 4 Et quoniam intemperantia est veluti mater et nutrix impuritatis, unusquisque in esu erit temperans, et quoad fieri poterit, cibis communibus, et vino, aqua plurima diluto, utetur. (Reg. Commun. IV, 3).

§ 5 Insuper, omnes sibi persuadebunt, Missionariis nequaquam sufficere, hujusce virtutis gradum attigisse non mediocrem, imo praeterea requiri, ut totis viribus nitantur impedire, si fieri possit, ne ullus hominum de aliquo nostrorum, vel levissimam vitii contrarii suspicionem possit concipere : haec enim sola suspicio, etiamsi omnino injusta, plus obsesset Congregationi, ipsiusque piis ministeriis, quam alia crimina falso nobis imputata, eo maxime quod exiguus aut nullus ob id colligeretur fructus ex missionibus nostris.

§ 6 Quare ad malum hoc praeveniendum, aut tollendum, omnibus, quae occurrere poterunt, mediis, non modo ordinariis, verum etiam, si res postulat, extraordinariis utemur: cujusmodi est istud, ab aliquibus operibus, alioqui licitis, et etiam bonis ac sanctis, interdum abstinere, cum scilicet, iudicio Superioris aut Directoris, illa videntur dare locum timendi hujusmodi suspicionem. (Reg. Comm. IV, 4).

§ 7 Et quia otiositas est noverca virtutum, maxime castitatis, unusquisque vitium hoc ita fugiet, ut semper inveniatur utiliter occupatus. (l. c. par. v).

166. — § 1 Prohibentur confessarii quominus directionem spiritualem peragant in collocatoriis domorum nostrarum (ad normam *Litter. S. C. S. Officii*, 30 Julii, 1920) sed hujusmodi fiat tantum in loco ad mulierum confessionem destinato, quique patens et conspicuus sit (Can. 909, 1)

§ 2 item locutoria ad excipiendas mulieres destinata, sint bene illuminata et ita disposita ut per portas vel fenestras facile ab externo videatur quid intus agatur.

167. — § 1 Districte prohibetur ne ulla quaecumque femina, sub quocumque sive necessitudinis, cognationis, consultationis, laboris, infirmitatis, pietatisve praetextu, a nostris, quicumque ii sint, recipiatur in domibus aut in villis nostris, nisi in locis ad recipiendas feminas destinatis (Decr. 218)

§ 2 Superiores non permittent nostris ullas feminas quantumvis pias, cujuscumque conditionis ac aetatis sint, invisere, nisi necessitas id postulet, aut saltem profectus non mediocris evincat

§ 3 idque tantum viris iamdudum probatis et christiana prudentia praeditis

§ 4 et hoc quidem etiam quoad moniales et Puellas a caritate (Reg. Sup. localis, p. 3; Decr. n. 217-219).

168. — Si quandoque adsit cogens necessitas utendi famulatu femineo, iudicium de hae necessitate et licentia reservatur Superi non majori, onerata graviter conscientia Superiorum localium de veritate expositorum circa necessitatem et media adhibenda ad omnia pericula inde secutura vitanda (Decr. 566).

169. — Caeterum quisque meninerit verba Sancti Vincentii.

§ 1 Salvator noster quanti castitatem coleret, quamque ardentem illam in corda hominum insinuare cuperet, evidenter significavit, ex eo quod per operationem Spiritus sancti, supra naturae leges, de Virgine intacta nasci voluerit ; et a vitio opposito ita abhorruerit, ut quamvis atrocissima crimina falso sibi imputari permiserit, ut juxta desiderium suum

opprobriis saturaretur, nusquam tamen impudicitiae, ne dicam accusatione, sed ne quidem suspicione ulla, a suis etiam infensissimis hostibus notatum fuisse legamus ; § 2 ideo multum interest, ut Congregatio singulari hujus virtutis acquirendae desiderio exardescat, eamque perfectissime colere semper et ubique profiteatur ; quod tanto magis nobis cordi esse debet, quanto strictius ad fere continuam cum saecularibus utriusque sexus conversationem, nos Missionis exercitia addicunt.

§ 3 Quapropter unusquisque, in hac castitate tum corporis tum animi integre conservanda, omnem curam, diligentiam, et praecautiorem adhibere, quantum in se erit, conabitur. (Reg. Comm. Cap. IV, par. 1).

### CAPUT III

#### DE OBOEDIENTIA

##### Ratione voti

170. — § 1 Vi voti oboedientiae sodales Congregationis obligationem contrahunt oboediendi Superiori generali, Visitatori, Superiori locali domus in qua quis residet, eorum omnium substitutis, in omnibus quae sive directe sive indirecte se referunt ad Votorum, Constitutionum et Regularum observantiam (Reg. Com. Caput V, par. 1-3; Cong. de Rel. 16 Julii, 1931).

§ 2 Tunc autem obligatio vi voti urget cum legitimus Superior expresse praecipit in virtute sanctae oboedientiae, vel sub formali praecepto, aut aliis verbis aequipollentibus (Cong. de Relig. l. c.).

§ 3 Raro, caute et prudenter et non nisi ex causa gravi Superiores praesertim locales praeceptum eiusmodi imponant et expedit ut imponatur in scriptis vel saltem coram duobus testibus (l. c., n. 59).

##### Ratione virtutis

171. — In honorem oboedientiae quam Dominus noster Jesus Christus verbo et exemplo nos docuit, cum beatissimae Virgini, beato Josepho, necnon et aliis personis in dignitate constitutis, tum bonis, tum dyscolis, subditus esse voluit ; omnibus et singulis praepositis nostris, ipsos in Domino, et Dominum in ipsis attendentes exacte oboedimus; in primis Sanctissimo Domino nostro Papae reverentiam et obedientiam fideliter et sincere praesbimus [*sic = praestimus*].

172. — Ad oboedientiam quoque tenentur sodales Congregationis erga Episcopos in quorum dioceses deputentur missionarii pro missionibus tradendis et quoad alias functiones Instituti nostri exercendas extra nostras domos vel in locis subiectis subiectioni Ordinariorum (ut seminariis externis, hospitalibus), et ea quae illas externas functiones concernunt (Alexander VII, 7 oct. 1662 ; Reg. Comm. Cap. V, par. 1).

173. — § 1 Omnes etiam et singuli Superiori Generali oboedimus prompte, hilariter et perseveranter, in omnibus ubi peccatum non apparet, et caeca quadam obedientia, proprium iudicium, propriamque voluntatem submittentem, idque non solum quoad ejus voluntatem nobis notificatam, sed etiam quoad ejus intentionem :

§ 2 existimantes illud semper ad melius esse, quod ipse præcipit ; nosque illius dispositioni, quasi limam in manibus fabri, committentes. (Reg. Comm. V, 2).

174. — § 1 Et hæc obedientia cæteris Superioribus tam particularibus, quam Visitoribus, necnon officialibus subordinatis pariter exhibenda erit.

§ 2 Quisque etiam campanæ sono, ut voci Christi obedire conabitur ; ita ut ad primum ejus signum studeat vel ipsam imperfectam litteram relinquere. (Reg. Comm. V, 3).

175. — § 1 Et ut Congregatio facilius et citius in hac virtute progressum faciat, pro viribus nitetur, ut pia illa consuetudo nihil petendi, nihilque recusandi, apud nos semper vigeat :

§ 2 attamen, cum quis noverit aliquid sibi esse vel nocivum vel necessarium, id coram Domino examinabit, utrum id ipsum Superiori aperire debeat, vel non, et se indifferentem habebit quoad responsum futurum ;

§ 3 et hoc pacto dispositus, rem Superiori declarabit ; tenebitque pro certo voluntatem Dei sibi significari per voluntatem Superioris ; qua cognita statim acquiescet. (Reg. Comm. V, 4).

176. — Omnes statutis cujuslibet hebdomadæ diebus, et horis, in locum assignatum convenient, ut, que circa ordinem domesticum monenda sunt, a Superiore audiant : et si quid habent proponendum, ei significant. (Reg. Comm. V, 5).

177. — Nemo quicquam aliis præcipiet, aut ullum reprehendet, nisi ad id a Superiore deputatus sit, aut ex officio jam teneatur. (Reg. Comm. V, 6).

178. — Nullus ab uno Superiore repulsam passus, alium Superiorem adibit super ea re, quin repulsam, et repulsæ causam illi significet. (Reg. Comm. V, 7).

179. — Nemo curam alicujus rei sibi commissam deseret, licet aliquo superveniente negotio impeditus, quin mature admoneat aliquem ex Superioribus, ut si opus est, alium substituatur. (Reg. Comm. V, 8).

180. — § 1 Sicut nullus in alterius officium aut ministerium se ingerere debet, ita cum quis rogatus fuerit ab aliquo, maxime ex officialibus etiam minoribus, ut ipsum obiter adjuvet, id benigne præstabit, nisi quid obstet :

§ 2 si tamen in hac re diutius occupari oporteret, id non fiet nisi prius obtenta Superioris licentia. (Reg. Comm. V, 9).

181. — § 1 Nemo in locum alieno ministerio destinatum introibit absque licentia Superioris ;

§ 2 in rebus autem necessariis, sufficet licentia Præfecti illius loci. (Reg. Comm. V, 10).

182. — § 1 ut occurratur multis non parvi momenti incommodis, quæ possent evenire, nullus litteras scribet, mittet, aut aperiet absque facultate Superioris ;

§ 2 cui scriptas quisque dabit, ut eas vel mittat, vel retineat, prout sibi visum fuerit. (Reg. Comm. V, xi).

§ 3 Omnes autem sodales libere possunt litteras mittere nulli obnoxias inspectioni ad Sanctam Sedem eiusque in natione Legatum, ad nostros Superiores maiores, ad Superiorem domus forte absentem ; et ab istis omnibus, litteras item nemini inspiciendas recipere.

183. — Et ut obedientia aliquid etiam conferat corporis sanitati, nullus extra consueta tempora potum, aut cibum sumet, sine Superioris licentia. (Reg. Comm. V, 12).

184. — § 1 Nullus absque Superioris facultate generali aut speciali, in cubiculum alterius intrabit, neque illud aperiet, quin ei responsum fuerit, ingredi ;  
§ 2 quandiu autem una erunt, tandiu janua patebit. (Reg. Comm. V, 13).

185. — Nemo etiam alios, maxime externos, in cubiculum suum introducet, nisi accepta ab eodem Superiore licentia. (Reg. Comm. V, 14).

186. — Nemo librum aut componet, aut ex una lingua in alteram vertet, et in lucem edet, sine expressa tum approbatione tum facultate Superioris Generalis. (Reg. Comm. V, 15), et servato praescripto canonum 1385-1394 Codicis Juris Canonici.

187. — § 1 Nullus ex coadjutoribus nostris, officio Marthæ destinatis, ad studium linguæ latinæ, nedum ad statum ecclesiasticum adspirabit.  
§ 2 Quod si quis in se tale desiderium senserit, illud protinus nitetur extinguere, tanquam a maligno spiritu procedens ; qui forte speciosa superbia, zelo animarum velata, ipsos perdere intendit. Legere autem vel scribere non addiscent sine expressa Superioris generalis licentia. (Reg. Comm. V, 16).

## CAPUT IV

### DE VOTO SE APPLICANDI AD SALUTEM PAUPERUM

188. — § 1 Sodales Congregationis quantum peculiare votum et proprium profitentur seu pauperum rusticanorum saluti toto vitæ tempore in Congregatione vacandi, iuxta praecipuum ac peculiarem Congregationis finem a quo et nomen Missionariis accepit (Urbanus VIII, 12 Jan. 1632).

§ 2 Vi huius voti tenemur habitatores villarum, terrarum, pagorum, oppidulorum humiliorum et praesertim rucolas evangelizare.

§ 3 Non prohibentur tamen pauperibus praedicare eosque hortari cum pauperes ad civitatem convenient causa belli, laboris, sive inibi resideant permanentes sive occasionaliter, et ibi desint alii adhortatores et praedicatores qui illos doceant de necessariis ad salutem (S. Vinc. Litt., 13 et 21 Junii 1652).

189. — Licebit quoque praedicare in civitatibus praesertim in suburbiis et ubi degunt operarii et pauperes, dummodo verbum Dei a nostris tradatur methodo in Congregatione usitato et praedicentur fidei veritates et ea quae requiruntur ad salutem ad instar exercitiorum spiritualium (Conventus Gen. 1933).

190. — § 1 Votum huiusmodi adimpletur praesertim opera missionum quas missionarii nunquam omittere debent nequidem sub specie alterius operis pii et alioquin utilioris.

§ 2 Ideo unusquisque nostrorum toto animi affectu ad opus missionum se convertet (Reg. Comm. XI, 10).

§ 3 Peccant autem contra quantum hoc votum, sodales nostri qui respuunt laborare in missionibus, qui ad ipsas renuunt reverti propter labores anteriores et jam finitos, et qui dum utiles sunt in missionibus et a superiore ad eas deputantur renuunt eo quod aliis ministeriis nolunt renunciare cum ad missiones vocantur (S. Vinc. Conf., 6 dec. 1658).

191. — Cum autem praeter missiones adsint alia opera quae Congregatio tanquam finem suum persequitur, sicut ministeria nostra erga ecclesiasticos externos, ordinandos et seminaristas, quaeque ut complementum missionum a S. Vincentio considerantur (Reg. Comm. Cap. XI, 12), sicut et erga alios in exercitiis spiritualibus dirigendos, quantum praedictum Votum a nobis adimplebitur perficiendo ea quae a nostris superioribus praescripta nobis erunt (S. Vinc. Conf. 16 Maii 1653; 13 Dec. 1658) parati ad missiones toties obeundas quoties obedientia nos vocabit (Reg. Com. XI, 10).

## TITULUS VIII

### DE RATIONE STUDIORUM

192. — In iis quae ad studiorum rationem et ad suscipiendos ordines pertinent, sodales nostri iisdem legibus tenentur ac saeculares clerici, salvo peculiaribus praescriptionibus a Sancta Sede datis (Can. 678).

193. — § 1 Quantum possibile est unaquaeque provincia proprium habeat scholasticatum, qui erigendus erit in loco convenienti electo a Visitatore cum suo consilio, et a Superiore generali approbato, ut scholastici nostri studiis philosophiae ac theologiae rite incumbant; § 2 quoties autem huiusmodi scholasticatus institutio impossibilis evadat, Visitator cum Superioris generalis adprobatione mittat scholasticos nostros ad scholasticatum alius provinciae, vel ad publicum Athenaeum catholicum a Sancta Sede adprobatum vel in scholis ad id institutis ubi recte ordinata est studiorum sedes ad normam Can. 1365.

§ 3 Haberi quoque possunt in unaquaque provincia scholae apostolicae

§ 4 Hae scholae valde utiles sunt ad fovendam puerorum vocationem et ad instituendos pueros in religione et in disciplinis secundariis.

194. — § 1 Scholastici nostri incumbere debent saltem per integrum biennium studio philosophiae rationalis cum affinis disciplinis (Can. 1365, 1);

§ 2 cursus vero theologicus saltem integro quadriennio contineatur, et praeter theologiam dogmaticam et moralem a) complecti praesertim debet studium sacrae Scripturae, historiae ecclesiasticae, iuris canonici, liturgiae, sacrae eloquentiae et cantus ecclesiastici (Can. 1365, 2); b) nec desit studium theologiae pastoralis, additis exercitationibus de ratione catechizandi, audiendi confessiones, visitandi infirmos, assistendi moribundis (l. c.); c) necnon modus se gerendi in functionibus nostri Instituti, praesertim quoad

missiones tradendas; d) addantur quoque lectiones de scientia sociali (Decr. 578) atque pro iis qui ad missiones externas praeparantur, de missiologia.

195. — Ad magisterii munus in disciplinis philosophicis, theologicis et iuridicis assumantur Superiorum maiorum iudicio ii qui ceteris paribus laurea doctorali sint praediti vel saltem in iis disciplinis plane expertes (Can. 1366, 1) et praesertim eligantur sacerdotes non doctrina tantum sed etiam virtutibus ac prudentia praestantes, qui verbo et exemplo alumni prodesse possint (Can. 1360).

196. — Studiorum tempore professoribus et alumni ne imponantur opera, ministeria vel officia quae a studiis eos avocent vel scholam quoquo modo impediunt.

197. — Visitatores pro sua prudentia, scholasticos et neosacerdotes pietate et ingenio praestantes Romam mittant vel ad aliam Universitatem ab Ecclesia adprobatam ut ibi studia sacra perficiant et academicos gradus consequantur (Decr. 617).

198. — § 1 Quoniam *Curiositas reum efficit, non peritum*; et secundum Apostolum, *Scientia inflat*, tunc maxime cum ejus consilium negligitur, *Non plus*, scilicet, *sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem*; idcirco omnes, sed praesertim scholastici continue invigilabunt, ne illa inordinata sciendi aviditas corda sua sensim invadat;

§ 2 non tamen desinent studiis ad functiones Missionarii rite obeundas necessariis impense vacare; dummodo praecipua cura sit addiscere scientiam Sanctorum, quae in schola crucis docetur; ita ut nonnisi Jesum Christum valeant praedicare, exemplo ejusdem Apostoli qui etiam scribens ad Corinthios, ingenue fatetur, quod non judicavit se aliquid scire inter illos, nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum. (Reg. Comm. XII, 8).

199. — § 1 Quandoquidem novae, aut particulares opiniones plerumque nocent et suis auctoribus et sectatoribus, cavebunt omnes et singuli ab hujusmodi novitate et particularitate;

§ 2 imo semper in doctrina, in dictis, et in scriptis, quoad fieri poterit, convenient, ita ut, juxta Apostolum, *Omnes idem sapere et sentire* ac etiam idem dicere possimus. (Reg. Comm. XII, 7)

200. — § 1 Scholasticorum nostrorum cura committatur Directori qui eorum animum ad nostri status perfectionem informet opportunis Monitis et exhortationibus et omni studio et diligentia consulat ut spiritum humilitatis, paupertatis, obedientiae, mortificationis et orationis quem scholastici e seminario hausisse debuerunt fideliter retineant;

§ 2 Invigilet Director ne ita pietati animum applicent ut studia negligant, nec e contra ita incumbant studiis ut praetermittant exercitia spiritualia vel perfunctorie absolvant;

§ 3 Director nominatur a Visitatore cum approbatione Superioris generalis (Decr. 197).

§ 4 Director communem observantiam et debitam superiori domus submissionem exacte servabit (Reg. Direct., 15).

201. — § 1 Non desit in scholasticorum domo deputatio confessoriorum ad normam Can. 1361, 1-3; firmo pro iis quoque iure Can. 519.

§ 2 Inter confessarios non deputetur superior domus, attamen potest servatis de jure servandis confessiones audire subditorum qui ab illo sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant (Canon 518).

202. — Visitatores instituant in sua quisque provincia Praefectum studiorum.

203. — Expleto studiorum curriculo omnes sacerdotes, nisi a Superiore maiore ob iustam causam fuerint excepti, examen singulis annis per integrum triennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum praescriptum a Visitatore (Can. 130).

204. — § 1 Collationes de casibus conscientiae de re morali et liturgica habebuntur in singulis domibus etiam in seminariis maioribus, iuxta tempus et modum in Congregatione usitatum;

§ 2 collationibus istis addi possunt aliae exercitationes quas Visitator opportunas iudicaverit ad scientiam et pietatem missionariorum promovendam (Can. 131 ; Reg. Visit. vii, et Super. Localis, iii, 9 ; Decr. 55, 535).

## TITULUS IX

### DE SACRA ORDINATIONE

205. — § 1 Sodales Congregationis a nullo Episcopo ordinari licite possunt sine litteris dimissoriis proprii Superioris maioris (Can. 964, 2);

§ 2 Superiores vero maiores professis votorum temporariorum litteras dimissorias concedere possunt dumtaxat ad primam tonsuram et Ordines minores (Can. 964, 3).

206. — Superior generalis et Visitatores litteras dimissorias pro suis subditis ubique existentibus concedere possunt (Benedictus XIII, 7 sept. 1725).

207. — Titulus canonicus sacrae Ordinationis est titulus mensae communis vel Congregationis, vel etiam patrimonii ecclesiastici si quis ex sodalibus nostris illud habere possit (Can. 982, 2).

208. — § 1 Litterae dimissoriae testari debent promovendum vota perpetua emississe (si agatur de Ordinibus maioribus), esse de familia domus sibi subditae, de studiis peractis ad normam Can. 976, de ultima ordinatione (si agatur de Ordinibus maioribus vel minoribus), de recepto baptismo et confirmatione (si agatur de tonsura), de examine peracto, de exercitiis spiritualibus deque omnibus requisitis a Can. 975-1001.

§ 2 Superiores maiores cum suo Consilio examinabunt utrum adsint omnia requisita ad suorum ordinandorum ordinationem et si de his vere constiterit, licite suos ad Ordines admittent ac litteras dimissorias conficient (Reg. Visit. Cap. vi, par. 6).

209. — § 1 Superiores maiores Congregationis dispensare possunt pro suis subditis : ab interstitiis ad normam Can. 978, 2, 3 a defectu natalium (Gregorius XIV, 21 sept. 1591



pro CC. RR.) ab omnibus irregularitatibus a quibus Episcopi dispensare possunt ad effectum ordinis suscipiendi (Can. 990, 1).

## TITULUS X

### DE FRATRIBUS COADIUTORIBUS

210. — § 1 Fratres nostri coadiutores, sunt pari modo ac clerici et sacerdotes, Congregationis nostrae membra  
§ 2 eorum partes sunt ecclesiasticos in suis ministeriis adiuvere tum Marthae officio fungendo, tum suis orationibus, lacrimis, mortificationibus et exemplis (Reg. Comm. Cap. 1, 2),  
§ 3 necesse est ut coadiutores sicut et alii missionarii, pro virium tenuitate, spiritum Christi induant, virtutesque eius, praesertim simplicitatem, humilitatem, mansuetudinem, mortificationem zelumque animarum studiose colant (Reg. Comm. Cap. I, 1; Cap. II, 14).
211. — § 1 Requiritur proinde ut Constitutiones communes, sicut et speciales Regulas ad suum cuiusque officium pertinentes, exacte observent  
§ 2 piisque exercitiis diligenter incumbant (Reg. Comm. Cap. XIX, 14), lectioni libri spiritualis cotidie vacent  
§ 3 tempus ne terant inutiliter, praesertim vitando familiaritatem cum externis, sed in proprio officio occupati, ordinem et bonum temporale domus prae oculis habeant (Reg. Super. Loc., Cap. iii, 5, 10, 2).
212. — Ad vitanda plurima peccata contra paupertatem et alia gravia incommoda praecavenda, rationem expensarum fideliter reddant Procuratori iuxta proprias simulque fratris emptoris regulas (Reg. Proc. 14, et expeditoris 18).
213. — Curandum maxime erit a Superioribus ut fratres coadiutores nostri intersint lectionibus et collationibus spiritualibus in Congregatione usitatis et sedulo instituantur ad christianam vitam et proprias Congregationis nostrae virtutes (Conventus Gen. XVI, 1788).
214. — § 1 Fratres nostri coadiutores honorabunt sacerdotes ut ministros Christi et servient eis in Domino tanquam si cum eis vixisset, respicientes eos oculis fidei ut personas sacras, viventes inter se sicut vere parentes et filii (Ep. D. Bonnet, 30 juli 1730).  
§ 2 Eos libenter adjuvent, iisque humiliter oboediant.  
§ 3 Ab ipso probationis tempore conentur addiscere aliquam artem factivam domibus utilem.

## TITULUS XI

### DE OBLIGATIONIBUS ET PRIVILEGIIS

## CAPUT I

### DE OBLIGATIONIBUS

215. — § 1 Sodales Congregationis nostrae, praeter obligationes quibus obnoxii sunt secundum has Constitutiones et Regulas tenentur quoque communibus clericorum obligationibus, nisi ex natura rei vel sermonis contextu aliud constet (Can. 679, 1) § 2 clausura vero servanda est iuxta normas in hisce Constitutionibus traditas (Can. 679, 2).

216. — § 1 Omnes et singuli debent non solum vota quae nuncuparunt fideliter servare, sed etiam secundum Regulas ac Constitutiones vitam comparare, atque ita ad perfectionem sui status contendere (Can. 593 ; Cong. de Rel. 16 Iulii, 1931). § 2 Regularum et Constitutionum praescripta non obligant sub culpa sed ad poenitentiam forte impositam a superioribus ad normam earumdem; nisi contemptus adsit vel agatur de rebus quae vota emissa aut ius naturale et divinum vel canonicum aliquo modo tangant (loc. cit.); § 3 servandae quoque sunt Regulae particulares Officiorum (Reg. Sup. Local. xi, i ; et Visit. ii, par. 7).

217. — Unicuique sodali tradatur exemplar harum Constitutionum quas continenter et studio et observantia prosequi omnes contendant; cuilibet quoque a fratribus coadjutoribus tradantur in lingua vernacula scriptae.

218. — § 1 Curent superiores locales ut saltem semel in anno legantur publice statis diebus nostrae constitutiones, itemque decreta quae publice legenda Sancta Sedes praescribet (Can. 509, 2, 1). Decreta autem Conventuum generalium in nostris domibus legenda sunt bis in anno coram sacerdotibus et clericis qui vota emisissent (Decr. 178, et Coll. Selecta, p. 12)

219. — Saltem bis in mense christianae catechesis habeatur instructio pro nostris fratribus coadiutoribus et familiaribus, audientium conditioni accommodata (Can. 509, 2).

220. — § 1 Curent Superiore atque diligenter advigilent ut singuli sibi subditi exercitiis pietatis, a Regulis nostris praescriptis, fideliter perficiendis insistant (Can. 595 § 1). § 2 Jus et officium advigilandi ut onera missarum adimpleantur, in nostris domibus et ecclesiis ad Superiores pertinet directe et immediate (Can. 842). § 3 Superiores majores Congregationis tenentur, singulis saltem annis, librum in quo numerus, intentio, eleemosynae, celebratio missarum notatur, per se vel per alios recognoscendi (Can. 843 § 2).

## CAPUT SECUNDUM

### DE PRIVILEGIIS

221. — Sodales omnes Congregationis, fratribus coadiutoribus et seminaristis non exclusis, gaudent clericorum privilegiis de quibus in cc. 119-123, aliisque Congregationi directe concessis (Can. 680), necnon omnibus privilegiis et facultatibus quae per communicationem in Bulla Urbani VIII erectionis Congregationis nobis concessa sunt et confirmata a Pio VII, 3 iulii 1805 et 16 martii 1821, quaeque manent acquisita etiam post promulgationem Codicis.

222. — Iidem amittunt huiusmodi privilegia Congregationi concessa ipso facto cum e Congregatione egrediuntur vel dimittuntur.

223. — § 1 Congregatio gaudet privilegio exemptionis in omnibus (Alexander VII, 22 septembris 1655)

§ 2 Sodales directe subduntur Superiori generali quoad disciplinam et gubernationem, ita ut Superior generalis obtineat in omnes domos, res, personas et Superiores omnimodam superioritatem et auctoritatem.

§ 3 Visitatio canonica domorum, provinciarum, missionum, stationum unice peragitur a Superiore generali eiusque Commissariis aut a Visitoribus

§ 4 attamen quoad Missiones, aliasque functiones qui proximum spectant, ut directio et magisterium seminariorum externorum, exercitia spiritualia Ordinandorum cleri saecularis, collationes ecclesiasticae eiusdem cleri, sodales subsunt Ordinariis locorum; item quoad quamcumque sacram praedicationem externis habendam extra domos nostras (Alexander VII, *Pastorali Officio*, 7 octobris 1662 ; Benedictus XIV, *Aequa Apostolicae*, 5 aprilis 1744; Conventus generalis ii, Sess. 29).

224. — § 1 Sodalis Congregationis extra domum illegitime degens privilegio exemptionis haud gaudet;

§ 2 qui legitime extra domum degens delictum aliquod commiserit a loci Ordinario puniri potest si a proprio Superiore praemonito non puniatur (Can. 616).

225. — § 1 Interpres authenticus nostrorum privilegiorum est : a) Conventus generalis; b) Superior generalis; c) item Vicarius Generalis.

§ 2 Privilegia sunt largissime interpretanda (Priv. n. 16) sed iuxta Congregationis Constitutiones et usus;

§ 3 Superior generalis privilegiorum nostrorum usum potest suis subditis restringere, limitare, imo etiam tollere.

## **TITULUS XII**

### **DE EXITU ET DIMISSIONE NOSTRORUM**

#### **A CONGREGATIONE**

226. — § 1 Praeter normas proprias Congregationis in Constitutionibus contentas, circa egressum sodalium a Congregatione, servanda sunt, congrua congruis referendo, praescripta cc. 637-645) ; et circa dimissionem cc. 647-648 pro votis temporaneis; 654-668 quoad perpetua

§ 2 Porro Constitutio nostra quae fundamentum nostri Instituti est, neque tantum privilegium praesentat, statuit vota nostra dispensari posse tantum a Papa et a Superiore generali, hic autem tantum in actu dimissionis;

§ 3 quare vi c. 681 uti possumus jure Constitutionum quae non conferunt privilegium sed constituunt ius perpetuum et Pontificium status nostri in quo Superior generalis potest in actu dimissionis dispensare a votis Congregationis; et quidem statuens hanc rerum condicionem pro perpetuis, valet quoque pro temporaneis, cum qui plus habet minus quoque eo ipso consequitur.

§ 4 Nec obstare videtur revocatio contrarii privilegii Canonis 654, quia heic non agitur de privilegio, sed de Constitutione quae statum nostrum constituit.

227. — Perdurante vinculo votorum temporaneorum nemo egredi potest licite

§ 1 sine votorum dispensatione lata vel a Pontifice Romano, vel a Superiore generali iuxta Constitutiones;

§ 2 vel ad normam Juris Canonici 647-648 per dimissionem latam a Superiore generali cum consensu Consilii per secreta suffragia cum iure recursus ad Apostolicam Sedem ex parte dimissi.

§ 3 qui e domo nostra illegitime egredietur cum animo non revertendi, vel si legitime, non redit eo animo se subtrahendi religiosae oboedientiae, ab obligatione regulae et votorum minime solvitur et debet sine mora ad Congregationem redire (Can. 644 § 1-2 ; 645 § 1).

§ 4 item dicendum de eo qui sine Superiorum licentia domum nostram desinit cum animo redeundi (Can. 644 § 3 ; 644, § 1-2; 645, § 1).

§ 5 Superiores debent eos sollicite inquirere, et ipsos si vera paenitentia acti redeant, suscipere (Can. 645 § 2).

228. — Qui e Congregatione, expleto votorum temporaniorum tempore, aut obtento saecularizationis indulto egrediantur, vel ex eadem dimissi fuerint, nihil possunt repetere ob quamlibet operam Societati praestitam (Can. 681, 643, 1).

229. — § 1 Ipso facto habendi sunt tanquam legitime dimissi quibuscumque votis ligati sint a) publici apostatae a fide catholica; b) qui fugam arripuerint cum muliere; c) attentantes aut contrahentes matrimonium aut etiam vinculum ut aiunt civile;

§ 2 In his casibus sufficit ut Superior major cum suo Consilio emittat declarationem facti;

§ 3 curet autem probationes facti collectas in domus registis asservare (cc. 681, 646)

§ 4 quae tamen declaratio facti non requiritur ad hoc ut sodalis ipso facto habendus sit tanquam legitime dimissus (Commissio interpretationis codicis, 30 iulii 1934).

230. — § 1 Vota perpetua dispensari possunt : tum a Romano Pontifice, tum in actu dimissionis a Superiore generali vi Constitutionum (Alexander VII, 1655 ; Clemens X, 23 junii 1670; Benedictus XIV, 18 decembris 1742 ; Decr. 554, 7);

§ 2 Si vero dispensatur a Superiore generali, dispensatio effectum suum non habet nisi postquam dimissus, si sit in sacris constitutus, Episcopum benevolum qui eum incardinet, invenerit;

§ 3 si prius dictus clericus Congregationem relinquat suspensus manet (Secretarius Cong. de Rel. rescrip., 13 maii 1946).

231. — § 1 Quoad missionarios disciplinae impatientes, Constitutionum contemptores, monitis non obtemperantes, cum laicis perpetua colloquia habentes et mundi spiritum undique anhelantes et exhibentes, si pervicaces sint in Seminario interno per tempus probationis sufficiens (cuius iudicium penes Superiorem generalem erit) destinandi sunt § 2 quod si accedere recusant, statim e sinu Congregationis ejiciendi sunt, servatis formis a Jure statutis (Decr. 352 Conventus Gen. 1786).

232. — § 1 Ad dimissionem eorum qui sacros ordines non susceperunt, Superior generalis una cum Consilio procedere potest summario modo a) constituto de gravibus causis dimissionis, deque sodalis incorrigibilitate ad normam Can. 647, 2 ; b) descriptione ac probatione criminum processo camerali; c) constituto aliquo sacerdote Congregationis pro defensore;

§ 2 detur dimittendo plena licentia respondendi ad normam Can. 650, eiusque responsiones fideliter deferantur ad Superiorem generalem

§ 3 pateat recursus eidem intra decem dies in suspensivo ad Sanctam Sedem (Commissio interpretationis Codicis, 29 iunii 1918 pro S. J. ; cfr. Priv. Congr. Miss. n. 67).

233. — § 1 Ad dimissionem eorum qui sunt in sacris Ordinibus constituti, si renuant petere apud Superiorem generalem dispensationem a Votis, ad normam Constitutionum, servandi sunt cc. 654-668 pro casu ejectionis a Congregatione.

§ 2 Quod si aliquis indignus, laicus vel clericus, retineri non potest sine magno Congregationis damno, Superior generalis cum suo Consilio ad plura suffragia (ita tamen ut Superiori generali unicum suffragium competat cum praerogativa in paritate) eum dimittere, etiam post emissa vota sive temporaria, sive perpetua (Const. selectae Clementis X, no 6) et res Sanctae Sedis iudicio sine mora subjiciatur (ex analogia cum Can. 653).

## **PARS SECUNDA**

### **DE VITA SPIRITUALI CONGREGATIONIS MISSIONIS**

#### **TITULUS I**

##### **DE DOCUMENTIS EVANGELICIS**

234. § 1 Ante omnia, stabilire se in hae veritate singuli conabuntur, doctrinam Christi nunquam posse fallere ; quae vero est mundi, semper esse fallacem, cum ipsetmet

Christus affirmet hanc esse similem domui aedificatae super arenam; suam vero comparari aedificio fundato supra firmam petram.

§ 2 Idcirco, Congregatio semper juxta ipsius Christi, nunquam vero mundi documenta, agere profitebitur.

§ 3 ut autem id praestet, ea maxime, quae sequuntur, observabit (Reg. Comm. Cap. 2, 1).

235. — Cum Christus dixerit : *Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus : et hæc omnia*, quibus indigetis, *adjicientur vobis* ; unusquisque spiritualia temporalibus, salutem animæ corporis sanitati, gloriam Dei mundi vanitati anteferre conabitur. Quin etiam inopiam, infamiam, cruciatus, ipsamque mortem sibi magis, cum B. Paulo, eligere statuet, quam separari a caritate Christi. Propterea non erit sollicitus de bonis temporalibus ; imo jactabit super Dominum curam suam ; pro certo habens quod quandiu in hac caritate erit radicans, et hac spe fundatus, semper in protectione Dei cœli commorabitur ; et sic, non accedet ad eum malum, et ipse non deficiet omni bono, etiamsi sua omnia jam fore peritura arbitraretur. (Reg. comm., Cap. 2, 2).

236. — Et quoniam pium illud exercitium, quod in divina voluntate semper et in omnibus facienda consistit, certum est medium, quo christiana perfectio brevi potest acquiri ; unusquisque pro viribus nitetur illud sibi familiare reddere, hæc quatuor præstando : a) Debite tum jussa exsequendo, tum prohibita fugiendo, quoties nobis innotescit hujusmodi jussionem, aut prohibitionem a Deo, vel ab Ecclesia, vel a Superioribus nostris, vel a Regulis seu Constitutionibus nostræ Congregationis, emanare ; b) Inter agenda, quæ occurrunt, indifferentia, ea potius eligendo, quæ naturæ nostræ repugnant, quam quæ arrident, nisi ista, quæ placent sint necessaria : tunc enim sunt aliis præferenda ; ipsa tamen intuendo, non qua parte sensum delectant, sed dumtaxat qua Deo sunt gratiora. Quod si plura agenda, per se indifferentia, simul offeruntur, quæ nec sunt grata nec ingrata, tunc quodlibet ex ipsis, tanquam a divina Providentia oblatum, sine delectu assumere convenit ; c) Quæcumque nobis inopinato contingunt, sive adversa, sive prospera illa sint, sive corpus afficiant, sive animum, cuncta hæc, tanquam a paterna manu Domini procedentia, æquanimiter acceptando ; d) Illa omnia præfata peragendo, hocce motivo, quia tale est Dei beneplacitum, et ut in hoc ipso Christum Dominum, quantum in nobis est, imitemur, qui eadem, et in eundem finem perpetuo adimplevit, ut ipsemet testatur : *Ego, inquit, quæ placita sunt Patri, facio semper*. (Reg. comm. Cap. 2, 3).

237. — § 1 Cum Dominus Jesus a nobis exigit columbæ simplicitatem, quæ consistit tum in nuda declaratione rerum, ut se habent in corde, et absque inutilibus reflexionibus, tum in rebus sine fuco aut artificio agendis, Deum solum intuendo ;

§ 2 ideo unusquisque enixe operam dabit, ut omnia in eodem spiritu simplicitatis perficiat;

§ 3 considerans Dei sermocinationem esse cum simplicibus ; eumque secreta cœlestia abscondere a sapientibus et prudentibus hujus sæculi et revelare ea parvulis. (Reg. comm. 2, 4).

238. — § 1 Sed quoniam Christus, dum columbæ simplicitatem commendat, prudentiam serpentis simul amplectendam præcipit : quæ quidem est virtus, qua discrete loquimur et operamur ; idcirco prudenter ea reticebimus, quæ non expedit revelare, maxime cum ex

se vitiosa et illicita sunt ; et ex iis quæ aliquo modo sunt bona aut licita, rescindemus circumstantias, quæ contra honorem Dei aut in damnum proximi vergunt, aut cor nostrum ad inanem gloriam possunt inclinare.

§ 2 Cum autem hæc virtus, in agendis, versetur circa electionem mediorum, quæ ad finem suum consequendum sunt idonea ; ideo apud nos sanctum et inviolatum erit, semper uti mediis divinis ad res divinas, et de rebus sentire ac judicare juxta sensum et iudicium Christi, nunquam vero mundi ; neque etiam secundum imbecillum intellectus nostri ratiocinationem : et sic erimus prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ. (Reg. comm. 2, 5).

239. — Omnes etiam magnam adhibebunt diligentiam in addiscenda hac lectione a Christo tradita, *Discite a me quia mitis sum, et humilis corde* ; attendentes, ut ipsemet asserit, mansuetudine possideri terram, quia hujus virtutis exercitio corda hominum conciliantur, ut ad Dominum convertantur, quod non præstant, qui cum proximo durius et asperius agunt ; humilitate vero cælum acquiri, quo amor propriæ abjectionis solet exaltare, deducens nos, quasi per gradus, de virtute in virtutem, donec illuc perveniatur. (Reg. comm. 2, 6).

240. — § 1 Sed hæc humilitas, quam Christus ipse tam sæpe nobis et verbo et exemplo commendavit, et ad quam acquirendam Congregatio debet omnem operam insumere, tres has condiciones exigit : quarum a) prima est, se hominum vituperio dignum cum omni sinceritate reputare ; b) Gaudere quod alii imperfectum nostrum videant, et nos inde contemnant ; c) Si Dominus per nos, aut in nobis aliquid operetur, illud, si fieri possit, occultare ad aspectum propriæ vilitatis sin autem id fieri non possit, totum divinæ misericordiæ, et aliorum meritis attribuere.

§ 2 Et hoc est universæ evangelicæ perfectionis fundamentum, nodusque totius spiritualis vitæ : ei, qui humilitatem istam possidebit, omnia bona venient pariter cum illa ; qui vero ea carebit, etiam quod habet boni, auferetur ab eo, continuisque agitabitur angustiis. (Reg. Comm. 2, 7).

241. — Cum Christus dixerit : *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie* ; et B. Paulus in eodem spiritu adjunxerit : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini ; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis vivetis* ; unusquisque in assiduam scilicet propriæ voluntatis, propriique iudicii abnegationem, sensuum quoque omnium mortificationem incumbere studebit. (Reg. Comm. 2, 8).

242. — § 1 Immoderato pariter in propinquos amori omnes renuntiabunt, juxta consilium Christi e numero discipulorum suorum eos excludentis, qui non oderint patrem et matrem, fratres et sorores ; centuplumque nunc in hoc mundo, et in altero vitam æternam promittentis, si eos propter evangelium reliquerint. Quibus ostenditur quantum christianæ perfectioni impedimentum sint caro et sanguis.

§ 2 Parentes tamen spirituali amore, et secundum Christum amandi sunt. (Reg. Comm. 2, 9).

243. — Omnes ei indifferentiæ, quam Christus ac Sancti tantopere coluerunt, singulari diligentia studebunt ; ita ut neque ministeriis, neque personis, neque locis, præsertim patriæ, neque ulli hujusmodi rerum, ullo unquam affectu inordinato adhærescant ; imo

sint parati ac prompti hæc omnia, ad Superioris voluntatem nutumque, libenter deserere, omnemque circa illa repulsam, ac mutationem ab ipso procedentem, æquo animo patiantur ; illumque bene omnia fecisse in Domino fateantur. (Reg. Comm. 2, 10).

244. § 1 In honorem communis vitæ, quam Christus Dominus ducere voluit, ut aliis conformis fieret, et hoc pacto facilius Deo Patri eos lucrifaceret ; omnes, quoad fieri poterit, in omnibus uniformitatem servabunt : illam spectantes tanquam boni ordinis, ac sanctæ unionis tutricem ; fugientque pariter singularitatem, ut invidiæ ac divisionis radicem ;

§ 2 idque non solum quoad victum, vestitum lectum, et cætera hujusmodi ; sed etiam quoad rationem dirigendi, docendi, prædicandi, gubernandi, necnon et quoad praxes spirituales.

§ 3 ut autem hæc uniformitas possit apud nos perpetuo conservari, unicum nobis adhibendum est medium : nempe exactissima Regularum seu Constitutionum nostrarum observatio. (Reg. Comm. 2, xi).

245 § 1 Actus caritatis erga proximum apud nos incessanter vigeant, quales sunt : a) Aliis facere quod nobis juste fieri ab iis vellemus ; b) Aliis assentiri ac omnia in Domino approbare ; c) Se invicem supportare sine murmuratione ; d) Flere cum flentibus ; e) Gaudere cum gaudentibus ; f) Se invicem honore prævenire ; g) Sese aliis benevolum et officiosum ex imo corde præstare ; h) Denique omnibus omnia nos facere, ut omnes Christo lucrifaciamus.

§ 2 Quæ omnia intelligenda sunt, dummodo nihil contra divina vel ecclesiastica præcepta, aut nostræ Congregationis Regulas seu Constitutiones, ullo modo agatur. (Reg. Comm. 2, 12).

246. § 1 Si quando divina Providentia permittat Congregationem, aut aliquam ipsius domum, aut quempiam ex suis subditis calumnia vel persecutione gratis impugnari ac exerceri, a) diligentissime cavebimus ab omni vindicatione, aut maledictione, aut etiam querela ulla in ipsos persecutores ac calumniatores ; b) imo de hoc ipso Deum laudabimus et benedicemus ; c) et tanquam de occasione magni boni descendente a Patre luminum, ei cum exultatione gratias agemus. d) Quin etiam pro illis omnibus ipsum ex animo precabimur, necnon illis, cum sese opportunitas ac facultas offerent, lubenter benefaciamus ; attendentes quod Christus id nobis, sicut et cæteris fidelibus præcipit, dicens : *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos ; et orate pro persequentibus et calumniantibus vos.*

§ 2 Et ut omnia hæc facilius et lubentius observemus, asserit quod in hoc beati erimus, et ob idipsum gaudere ac exultare debemus, quoniam merces nostra copiosa est in cælis : et, quod caput est, ipse prior hoc dignatus est erga homines adimplere, ut nobis exemplum daret : quod postea imitati sunt Apostoli, discipuli, ac innumeri christiani. (Reg. Comm. 2, 13).

247. — § 1 Quamvis præfata omnia evangelii documenta, tanquam sanctissima ac utilissima, quantum in nobis est observare debeamus : quia tamen quædam ex illis nobis magis conveniunt, illa scilicet, quæ peculiari ratione simplicitatem, humilitatem, mansuetudinem, mortificationem et zelum animarum commendant ;



§ 2 Congregatio his colendis atque exercendis accuratius incumbet, ita ut hæc quinque virtutes sint veluti facultates animæ totius Congregationis, omnesque nostræ singulorum actiones illis semper animentur. (Reg. Comm. 2, 14).

248. — Et quoniam Satanus ab istorum documentorum exercitio, sua iis prorsus contraria opponendo, nos semper avocare nititur ; ideo maximam quisque adhibebit prudentiam ac vigilantiam ad illa omnia fortiter et animose oppugnanda ac devincenda, ea maxime quæ magis Instituto nostro repugnant, qualia sunt : a) Prudentia carnis ; b) Velle videri ab hominibus ; c) Appetere ut quisque nostro iudicio ac voluntati semper subjiciatur ; d) Quærere in omnibus suæ naturæ satisfactionem ; e) Insensibilitas erga honorem Dei et salutem proximi. (Reg. Comm. 2, 15).

249. — § 1 Cumque malignus spiritus se frequenter in angelum lucis transfiguret, suisque interdum illusionibus nos decipiat ; omnes sibi diligenter ab iis cavebunt, modumque eas discernendi ac superandi addiscere studebunt.

§ 2 Cumque experimento compertum sit præsentissimum ac tutissimum esse remedium in hoc casu, quam citissime rem aperire iis, qui a Deo sunt ad hoc deputati ; idcirco cum quis se cogitationibus aliqua illusionem suspectis, sive gravi angustia aut tentatione vexari senserit, quamprimum poterit, id Superiori ad mentem canonis 530 ;

§ 3 aut proprio Directori ad id designato patefaciet, ut congruum adhibeatur remedium ; quod quisque, tanquam de manu Domini, recipiet, approbabit, ac sibi cum fiducia ac reverentia applicabit.

§ 4 Ante omnia cavebit ne ulli alii, sive nostrorum sive externorum, rem ullo modo manifestet ; cum experientia constet hujusmodi manifestatione malum fieri deterius, alios ejusdem mali contagione infici, imo et totam Congregationem tandem magnum inde detrimentum capere. (Reg. Comm. 2, 16).

250. — Et quoniam unicuique mandavit Deus de proximo suo, et nos invicem utpote ejusdem corporis mystici membra juvare debemus ; ubi quis noverit aliquem gravi tentatione agitari, vel in culpam notabilem incidisse, statim in spiritu caritatis, et meliori modo quo poterit, curabit ut his duobus malis debite et tempestive convenientia remedia per Superiorem adhibeantur.

§ 2 Quisque etiam ad majorem progressum in virtute faciendum, boni consulet, et gratum habebit, ut sui defectus Superiori in eodem spiritu caritatis manifestentur per quemvis, qui extra confessionem eos observaverit. (Reg. Comm. 2, 17).

251. — § 1 Cum Dominus noster venerit in mundum, ut in animas imperium Patris sui repararet : illas scilicet eripiendo a dæmone, qui eas inordinata divitiarum, honoris, et voluptatis cupiditate callide decipiendo, rapuerat ; congruum censuit benignus hic Salvator cum suo adversario contrariis armis, scilicet paupertate, castitate, et obedientia certare, sicuti fecit usque ad mortem.

§ 2 Cumque minima Congregatio Missionis in Ecclesia Dei in eum finem surrexerit, ut animarum saluti, maxime pauperum rusticarum, inserviret, nullis utique fortioribus et aptioribus armis uti posse judicavit, quam iisdem, quibus ista Sapientia æterna tam feliciter, tamque utiliter usa est.

§ 3 Quapropter omnes et singuli, hujusmodi paupertatem, castitatem, et obedientiam, fideliter et perpetuo, juxta Institutum nostrum, servabunt.

§ 4 Et ut securius ac facilius, et etiam cum ampliori merito, in iis virtutibus observandis, possint usque ad mortem perseverare, unusquisque ea, quæ in sequentibus capitibus circa id statuuntur, maxima qua poterit fidelitate, exsequi in Domino conabitur. (Reg. Comm. 2, 18).

## TITULUS II

### DE IIS QUAE AD INFIRMOS SPECTANT DEQUE

#### MORTUORUM SUFFRAGIIS

252. — § 1 Cum inter cætera, quæ Christus operabatur, frequentiusque commendabat iis, quos in vineam suam mittebat, hoc unum ex præcipuis fuerit, infirmorum, maxime pauperum cura ac visitatio ;

§ 2 ideo Congregationi peculiaris erit cura, illos non solum domesticos verum etiam externos, cum Superioris consensu, invisendi ac sublevandi,

§ 3 illis tum corporalia, tum spiritualia subsidia, quæ commode poterunt, subministrando, præsertim in missionibus ;

§ 4. et præterea singularem curam adhibendo in confraternitate caritatis erigenda ac visitanda. (Reg. Comm. 6, 1).

253. — § 1 Ubicumque infirmum aliquem sive domi, sive extra domum, visitabunt, illum non ut hominem, sed ut Christum ipsum, tale sibi obsequium præstari asserentem, spectabunt :

§ 2 ideoque quilibet se ibi modeste geret, ac submissa voce loquetur, et de rebus, quæ ipsum exhilarare et consolari, necnon circumstantes ædificare possint.

(Reg. Comm. 6, 2).

254. — § 1 Infirmi quoque nostri sibi persuadebunt, se non solum in valetudinario et lecto detineri, ut remediis curentur ac sanentur, sed etiam ut virtutes christianas, maxime patientiam, et conformitatem cum divina voluntate, velut ex suggestu, suo saltem exemplo doceant ; et sic, omnibus se invisentibus, sibi que ministrantibus, Christi bonus odor sint ; adeo ut virtus ipsorum in infirmitate perficiatur.

§ 2 Cum autem inter cæteras virtutes, quæ in ægrotis requiruntur, obedientia sit etiam multum necessaria ; ideo medicis, non tantum spiritualibus, sed etiam corporalibus, tum infirmario, aliisque ad sui curam destinatis, exactissime illam exhibebunt.

(Reg. Comm. 6, 3).

255. — § 1 Et ne quis circa infirmos abusus subrepat, omnes qui se male affectos sentient, id Superiori, vel Præfecto sanitatis, aut Infirmario significabunt.

§ 2 Nemo vero medicinam ullam sumet, aut medico nostro utetur, aut alium consullet, nisi cum Superioris approbatione. (Reg. Comm. 6, 4).

256 § 1 Jus et officium Superioribus est per se vel per alium nostris ægrotis etiam noviciis, aliisve in domo nostra diu noctuque degentibus causa famulatus, educationis,

hospitii, infirmæ valetudinis, Eucharistiam, Viaticum et Extremam Unctionem ministrandi (Can. 514, i).

§ 2 Quoad defunctos nostros aliosque omnes supra dictos detur eis mediocre funus in ecclesiis aut oratoriis nostris ad normam canonis 1221.

§ 3 Pro Nostris peragantur suffragia statuta a Conventibus generalibus.

### TITULUS III

#### DE MODESTIA

